



~~1717.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

III A 170.

SIGNAT. c1515CCCXIII.



4  
**COMOE-**

**DIA SACRA, CUI TITVLVS**

**Ioseph, ad Christianæ iuuentutis institus-  
tionē iuxta locos inuentionis, ueteremq;  
artem, nunc primum & scripta & edita,**

**per Cor. Crôcum Amsterodami**

**Iudimagistrum.**

**Ex Genesios cap. XXXIX. XL. & XLI.**

**Abstine sus, non tibi spiro.**



**COLONIAE Ioannes Gymnicus excu-  
debat Anno M. D. XXXVII.**

## D I M E T R I .

Hæc scripta nobis, doctaq;  
Et actitata ægrè est simul.

Dum ludum amore patriæ  
Iterum aperimus, nec tamen

Defunt duo uersiculi.

Nec actione ephebulos  
Cunctis probatos plurimum.

Vestris Thalia siccine

Facundus Atlantis nepos

Auersus est farinulis?

Nihil ille iam facit noui.

Qui sordido lucellulo

Captus, Stygem colit nigram.

Vmbris studens degeneribus,

Curat Camœnas nobiles,

Aureamq; uirtutem nihil.



# SCOR. CRO

CVS AEMSTERO DAMVS M. MAR

tino Niuenio Aemsterodi uirginum Gertruden-

sium moderatori me-

ritiss. S. D.

**O**PTIME præcipiunt Sapientes Niueni  
charissime, optima primum, & ab opti-  
mis discenda. Vera autem sapientia ni-  
hil esse melius, abunde nobis sacrae con-  
testantur literæ: quare huius & primum esse debet,  
& præcipuum studium, quum omnibus, tum ante  
omnia Christianæ adolescentiæ. Frustra enim uiui-  
tur, ni rectè uiuitur. Frustra autem? imò uero maxi-  
mo nostro malo: ut melius fuerit, iuxta Christi de  
Iuda sententiam, omnino non nasci. At uiuendi re-  
ctè, sapere est & principium & fons: Quid enim a-  
liud uulcania arma, quibus Homerus Achillem suū,  
Aeneam Vergilius, studiose adeo muniunt? Quid il-  
læ efficacis succi herbæ, quibus per media monstra  
ad uellus aureum penetratur? Quid moly reperta  
difficillimū, sed contra omnia ueneficia præsentis-  
simum antidotum? Quid laureus sarculus, consilia  
omnia bene fortunās? Quid denique aureus ille ra-  
mus, quo tuto etiam inferi addeuntur? nisi efficacissi-

A 2 ma

## EPISTOLA.

ma sapientiae decreta : quibus obfirmatus animus, omnibus fortunæ telis, cupiditatum incantamentis, uitiorum monstris, euadit superior, numini iam quàm homini similior. Hæc enim inquit sapiens, amicos Dei & Prophetas constituit. Neminẽ enim diligit Deus, nisi eũ qui cum sapientia inhabitat. Sapient. VII. Et rursus, Nam per sapientiam sanati sunt, quicumq; placuerunt Deo à principio. O uerbum dignissimum quod exaretur in libro, uel plumbea lamina, stilo ferreo aut cælo incidatur in filice, quo semper oculis obuersetur nostris, & animo penitissime infigatur. Curatione opus est per sapientiam, ut liberemur stultitia colligata in corde humano, si Deo chari esse uolumus, ut certe uelle debemus omnes. Huc nos prouocat ætas omnis, dum posterioribus studijs, grauioribus, utinã etiam melioribus, priora leuitatis condemnamus. Negligimus pueri infantiae crepundia, ridemus adolescentes pueritiæ ludicra, iuuenes, adolescentiæ inconsulta consilia, & insanos repudiamus affectus, uiri iuuentutis dolemus tum præcipitantiam, tum intemperantiam, Senes superiorum ætatum & uitia gemimus, & cum sera iam pœnitentia est, mutata cupimus. Atq; adeo, in eisdem sæpe ætatibus affectus affectu, uoluptas uoluptate, libido libidine, seu cla-

MUS

E P I S T O L A.

uus clauo, paxillus paxillo, quod aiunt, pellitur. Quin igitur, quum suapte uanitate, cuncta fastidium nobis sui, pœnitentiamq; subinde pariant, quumq; ætas omnis ad sapientiam properet, in tempore potius rebus nostris salutiq; consulentes, operti sæculi discussis tenebris, malorum blandientium caliginem abstergimus. Nam, ut subiiciamus paulisper oculis hominum uitam, quid ea est omnis, nisi leuissima bulla aut inanis umbra, uel, ut significatius ait Pindarus, umbra somnium? procul si spectes, magnum quiddam esse putes, quod hebeti uidelicet sumus obtutu: ubi uero propinques, euanescit. ut autem fœlix aliquid aut diuturnum uideatur, stultitia nostra facit, atq; æui breuitas: quum quotidie, nunc uita, nunc mors, nunc risus, nunc lachrymæ, nunc gaudia, mox luctus, nunc secunda, mox aduersa, hodie diuitiæ, cras inopia, hodie affluentia, cras ege-  
tia, modo lucrum, modo damnum, modo honores, modo repulsæ, gratia & contēptus, amor & odium, pax & bellum assidue alternent: adeo cuncta hic, ad exagitandos miseros mortales armata sunt. Quo nimirum animi tranquillitatem redimentes, infru-  
giferis mundi laboribus longa salute dicta, potiori-  
bus incumbamus: atq; ita potioribus, ut præcipuis:  
ita præcipuis, ut solis. Primum, inquit Christus æter

A iij na

## E P I S T O L A.

na sapiētia, quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcient vobis. Fingamus nos in æditiorem paulisper speculam subduci, ut quondã fratrem suum subduxit Solon, ut rerum infra iacētium faciē, imò fluctuantis mundi turbines, contemplermur, mox seculi nos etiã pigebit, pudebitq; uel potius miserescet. Sed omissis uitæ incōmodis, quæ & odiosum fuerit referre, tã sunt miseranda, & longũ, tã sunt multa, aut uerius innumera, uel illa quæ, ueri inscitia, in homine dicuntur bona, quã nihil boni habeant consideremus, sed paucis, ut hoc loco. Ac primũ, quæ bonorum nomine sola uulgo censeri audimus, quæq; in primis miseri mirãtur mortales, nimirũ opes, quũ magno labore quærantur, maiori cura seruentur, maximo dolore amittantur, sintq; omnis flagitiũ & magistræ, & ministræ, quid tandẽ boni habent, ac nõ potius mali plurimũ? Vbi, inquit Christus, thesaurus tuus, ibi & cor tuũ. Et rursum: Quãm difficile qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt? Facilius est em̄, camelũ per foramen acus transire, q̄ diuitẽ intrare in regnum Dei. Quid Salomone sapiētius? quid eodẽ religiosius, ac Dei amãtius? & tamen ad quantũ religionis Deiq; contemptum, opũ eum affluentia deduxit? quã sapienter deprecans, siue idem, siue alius quisquam sapiēs Hebræus, Pro-



## E P I S T O L A.

Prouerbiorum 30. Inopiam, inquit, & diuitias ne  
 dederis mihi: suppedita mihi tantum uictui neces-  
 saria, ne quando satur factus mentiar, ac dicā: Quis  
 est Deus? neue per inopiam furtū cōmittam, & per  
 iurio polluiam nomen Dei mei. Quin Phocion, quā-  
 quā ethnicus & tenuis, regijs ei Legatis magnā auri  
 uim dono afferentibus, recusauit accipere: ac instan-  
 tibus, ut liberis saltem suis dari pateretur, respōdit:  
 si frugi esse uellent, auitum eis agellum, quo ipse cō-  
 tentus clarus euaserat, suffecturum ad honestatem:  
 sin minus, nolle se ipsorum alere luxuriam. Quan-  
 to hic sapientius, quā Cræsiāni nostri, uerius quā  
 Christiani, alioqui pauperis Christi discipuli, & ad  
 cœlestis hæreditatis possessionem uocati? Pecunia  
 enim quasi malis uenenis imbuta, corpus animumq;  
 uirilē effœminat, inquit Salust. Et D. Paul<sup>o</sup> noster,  
 Qui uolunt ditescere, incidunt in tentationem, &  
 laqueū, & cupiditates multas, stultas, ac noxias quæ  
 demergunt homines in exitium, & interitum. Si  
 quidem radix omnium malorum, est studium pecu-  
 niæ &c. I. Timo. 6. Quanto satius est, alteram manū  
 implere cum tranquillitate, quā utramque cum  
 perpetuis, n̄sdemq; superuacuis sollicitudinibus, ut  
 iam de pernicie taceā, quibus dies ipsi tenebrę sunt,  
 & uita dolor & afflictio spiritus. nempe:

A 4 Dimis

## EP I S T O L A.

Dimidium quàm sit toto præstantius, atq;  
Quanta sit utilitas maluæ asphodeliq; uirentis,  
Haud norunt stulti.

Non enim in abundantia cuiusquam, uita eius est, ex his quæ possidet, teste ipsa ueritate in Euangelio. Abunde diues est, qui Christum summum bonum possidet, qui prætiosam illam margaritam bonæ mentis, qui defossam in agro dominico sapientiæ thesaurum inuenit, qui à Christo aurum emit ignitum, probatum, diuinorum eloquiorum, qui bene gestorum substantiam recondit. Hæc enim sola nullis fortunæ casibus obnoxia, sola abeuntem non deserunt Dominum. Diues ille Euangelicus, expleuerat horrea frugibus, & iam non de seruando, sed de fruendo cogitabat, & tamen audit à Deo: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te, quæ uero parasitici cui cedent? sic, inquit, qui recondit sibi, nec est erga Deum diues. Et aliàs, uæ uobis diuitibus, qui habetis consolationem uestram. Iam quid uoluptas, esca, ut ait Plato, malorum? quid, nisi mera est insaniam, & phrenetici risibus simillima? dulce uenenum, blanda pernicies, quæ, quum insyncera est omnis, uel ethnico poëta teste, tum etiam exigua, ac paulo mox æternis cruciatibus luenda. Nec secius hic interim luculentis damnosa iacturis, opum, formæ, ualctu

## EPISTOLA.

ualetudinis, temporis, famæ, quodq; maximum, bonæ mēris. Quid autem stolidius ac pecudi uicinius, quàm hominem ratione præditum animal, diuinū plasma, ad angelorum consortium, ad diuinitatis communionem destinatum, brutæ & morituræ carni dedititium uiuere? ut huic ad horam obsequare, à conditore, imò redemptore, imò seruatore, deficeret? ut hæc perditæ uiuat, animam occidere? ut hæc fluxis ac breuibus fruatur gaudijs, perpetuos tibi luctus comparare? Væ, inquit Christus, uobis, qui ridetis nunc, quoniam flebitis. Respiciamus diuitē epulonem, post breues uoluptates æternis ignibus mancipatū, ne aquæ quidem guttam ardenti linguę impetrare posse. sed contrà, audire opprobrantem Abraham, Recordare quod ceperis bona tua in uita tua. Vera & unica uoluptas est, gaudium spiritus ac puræ conscientię, quam Salomon iuge dicit conuiuium. Quid dicam de glorię mancipijs, quauis bucula & inanis & leuioris, pariter ac fugacioris? qui hominibus, magis quàm Deo, placere dum studēt, dum laudari cupiunt, ad hominū opinionem uiuant, & quod est amentissimū, sui precium de uulgi opinione estimant, pessimi iam olim tum uiuentium sentiendi autoris, & cuius nihil sanum ueteri, ueroq; prouerbio iactatum est. At uæ uobis, inquit

A 5 Chri-

## E P I S T O L A.

Christus, quum laudarint uos omnes homines . Et  
 rursum: Quomodo uos potestis credere, qui gloriã  
 à uobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo deo  
 proficiscitur non queritis? Vnicus autem honor est  
 à Deo collaudari, certissimo iudice, & unico καριστο-  
 γωνο & munerario . Qui gloriatur, inquit beatus  
 Paulus, in Domino gloriatur. Non enim quem ho-  
 mines commendant, ille probatus est, sed is quẽ Do-  
 minus commendat, cui soli debetur omnis laus, ho-  
 nor, & gloria . Longum hic foret cætera percense-  
 re, quæ mundus immundus præ se fert sublimia: sa-  
 tis ex his perspicere est, quã cæcus error sit morta-  
 lium: utq; dum umbris inhiant, res ueras amittant.  
 Maxime autem huic malo affinis adolescentia ac iu-  
 uentus est, quippe cuius stultitia comes est, stultitia  
 autem ducit ad interitum . At sapientia lignum ui-  
 tæ est, cuiusque contigerit, & beatus est quisquis  
 eam nactus fuerit. Quam, quanta proinde diligen-  
 tia docet filium suum sapientiss. Salomon? quã so-  
 licitè inculcat, atq; infigit? quã studiose commen-  
 dat? ut nunquam sibi in adhortando faciat satis:  
 quasi sapientiam amasse, propemodum perdidicisse  
 sit: itidem ut Socrates, perfectum sibi opus dicebat,  
 si quem sua oratione ad sapientiæ studium reddidisset  
 inflammatiores . Nos igitur utrunque optime  
 Mar

## EPISTOLA.

Martine, & docere Christianam pubem tam salutarem sapientiam, & ad eandem cohortari cupientes, ad eamque rem non uerba tantum, sed multo maxime exempla, non minus necessaria, quam apposita cognoscentes, delegimus ex optimis, nempe sacris, longe optimum pulcherrimumque Ioseph patriarchæ exemplum, & huius rursus longè optimam mehercle pulcherrimamque partem, & quæ teneræ ætati, quæ gratis ac iucundis magis quàm serijs capitur, facile sit & iucundissima & gratissima futura, nõ equidem sine mente, reor, sine numine diuûm: ut, quum ipsa rei gestæ fide, tû narrationis uoluptate, & gratia, quod dici solet, breuitate inescati, cupidè percipiant animi dociles, teneantque fideles. Is enim & præclarissimum sapientiæ exemplar est, & singulare documentum, eum, cui illa adest, omnibus abundare uirtutibus. Quod enim tandem uirtutis genus esse potest, cuius non specimen eius historia habet, perinde præstantissimum, ut gratiosissimum: adeo, ut quid cui præferas, nescias: atque ita clarum, ut loqui quasi uideatur. Quis enim melius de prudentia præcipere queat, quàm hic exëplo docet suo, in quouis fortunæ gradu? Quis uerbis docere, quantam hic erga omnis generis homines, cum quibus ei conflictari  
conti-

## E P I S T O L A.

contigit, iustitiæ præstitit æquitatem? Temperantia uero & fortitudine tanta, ut, quæ uerbis fidem inuenire non potuissent, ijs re ipsa fidem fecerit. Quin, unico facto quatuor expressit uirtutum fontes, dū ab improbis heræ amplexibus, debitæ hero fidei respectu, & continentia amore, ambigui euentus periculo fortiter contempto, prudenti fuga sese expediuit. Magni uiri, atq; adeo maximi, cæteri patriarchæ & prophetæ, Abraham quidem impigra fide, Isaac synceræ mentis puritate, Iacob inuicta laborum tolerantia, atq; alij, alius certæ uirtutis eminentia, maxime suspiciendi, at hic omnibus, undecunq; , ex æquo, summè admirandus. Nisi quis eam forte contendet fuisse eximiam, quæ in hoc, pene dixerim supra fidem, fuit, in tam eleganti forma, tam lubrica ætate, tanta facultate, castimonia, & huius comes, nitor quidam gratiæ, quo factum est ut ab omnibus præ cæteris amaretur. Sed æquè sanè insignis, si non magis, illa, ante euangelium planè euangelicæ perfectionis, tum mansuetudo, qua summam fratrum iniuriã nec uerbo opprobrauit, nedum uindicauit, imò cumulata pensauit beneficentia, tum innocentia, qua grauissimam heræ calumniam nec in carcere prodidit, suam contentus excusasse ἀναίτια. Nec minus singularis illa prudentia, qua tam gra-  
uem

## E P I S T O L A.

uem ac diuturnam famem mirabiliter coniecit uir  
 uenturam, mirabilius temperauit, summa uigilantia  
 septennem comitatum conuehens, summa iustitia  
 æqualitatem per omnes seruans, *ὅυκ ἄνευ ἐπιμελείας*, qua  
 sine inæqualis est æqualitas. Argumento est, simul  
 & magno nobis religionis documento, quod suum  
 sacerdotibus, licet idololatriis, habitum uoluit hono-  
 rem. Denique summa integritate sibi nihil, regi om-  
 nia acquirens, ad publicum stabilimentum potesta-  
 ti, quæ omnis à deo est teste Apostolo, tanto ante  
 Apostolum consulens, non ita ut popularis ac uani  
 fauoris studio, speciem liberalitatis de alieno lar-  
 giendo mentiretur, rem ac uirtutem negaret, sed ut  
 parcius insumeretur, quæ in multos annos tum Aeg-  
 yptiis, tum finitimis, debebant sufficere. In sum-  
 ma, euenit mihi per huius uirtutes circumferenti ani-  
 mum, quod Paridi illi Lucianico in dearum iudi-  
 cio, qui negans sibi, in tanta diuinarum formarum  
 excellentia satis constare posse iudicium, *αὐται δὲ,  
 φῖσι, πᾶσαι τε ὁμοίως καλαί, καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως ἄρ τις ἀπὸ  
 τῆς ἑτέρας ἐπὶ πλὴν ἑτέρας μεταγάγοι πλὴν ὄψιν ἀποσπάσας.* &  
 quæ sequuntur. Huius ergo uitam, absolutissimum  
 sapientiæ exemplum, & parænesin, & penè dix-  
 rim exegesin, sic etiam tractauimus unius dei opt.  
 max. benignitate, ut non pauca sapientiæ decreta  
 asper-

## EPISTOLAE

asperferimus, tāquam absynthium melle prælitum,  
 animo moribusq; formandis non parum conductu  
 ra οὐδὲ θεῶν, in usum Christianæ pubis, cui hic omnis  
 desudavit labor, ut mihi gradum iecisse uidear,  
 absit uerbo inuidia, ad ethicam philosophiam, quā  
 Socrates de cælo in terram, D. Erasmus Roterodamus  
 pridem in sermones & colloquia, quibusdā  
 exceptis, deduxit, sub oculos ac conspectum etiam  
 puerorum producendam, quæ qui cordi ac me-  
 moriæ habuerit, facile uulgi, quo nullum unquam  
 penè fuit corruptius, ne apud ethnicos quidē, quod  
 ad opiniones de moribus attinet, euaserit dissimil-  
 limus. Quicquid enim penitus inhæsit animo, id  
 quisque uita exprimit, nec uirtutem constanter tue-  
 ri potest, qui de turpi atq; honesto nullis certis opi-  
 nionibus mentem imbuerit. Neque tamen totam  
 beati Ioseph uitam sumpsimus tractandam, nec etiā  
 ea unius comœdiæ res foret, sed à tentatione dun-  
 taxat heræ, usque ad liberationem eius è carcere.  
 Nam quo min⁹ ad nuptias usq; perduxerimus, quū  
 ad postulare, præter artis rationem, etiā ipsa actū,  
 ut à nobis concepta erat distributio, fecit primum  
 insignita illa, quam nosti, ingratitude, ad quam de-  
 inde accessit grauiorum studiorum necessitas, &  
 alioqui satis, quod ad hanc historiæ attinet partem,  
exem-



## E P I S T O L A.

exempli pueris propositum uisum est. Nec est tamē  
 quod quis præter artem factum ob id cauilletur,  
 quando comico satis est in lætum exitum rem dedu-  
 cere ut testantur, præter Græcas, non pauca Plau-  
 tinæ comœdiæ, nominatim Capteiuæ. Illud magis  
 mouere iure posset, quod duas historiæ partes in  
 eandem cōclusimus actionem, longo temporum in-  
 teruallo distantes, nisi huius rei exempla, ut Græ-  
 cum Aristophanem taceam, apud latinæ etiã co-  
 mœdiæ principes Plautum ac Terētium extarent.  
 Huius em̄ Heautontimorumenos, comœdiarū eius  
 præstantissima, duobus diebus, Illius autem Captei-  
 uæ, etiã multis interpositis diebus agi finguntur.  
 Non sic tolerari potest, ut longe lateq; diffusa loca  
 in unum subito proscenium cogantur: qua in re per-  
 se absurdissima, & nullo ueterum exemplo compro-  
 bata, nimium sibi hodie quidam indulserunt. Quod  
 si cui uidebitur forte philosophica nimis, is cogitet,  
 præter quàm quod talis ipsa est historia, etiã ab  
 optimis doctissimisque iudicari, omnem Græcorū phi-  
 losophiam ab Hebræis, atq; hoc in primis Ioseph, es-  
 se profectam. Nihil hic iam opus arbitror, ut plu-  
 ribus opellam hanc meam commendem, quando &  
 comœdiam esse ostendimus, & historiã, & quidē  
 sacram, ut quicquid laudum utriq; tribuitur, tribui-  
 tur au-

## E P I S T O L A.

tur autem ab omnibus plurimum, plus etiam sacre,  
 debeat & huic nostræ: nisi quatenus utriusq; lau-  
 dem culpa detriuimus ingenij, de qua re aliorum  
 esto iudicium. Tantum illud Lectorem admonue-  
 rim, quod suum monet Plinius, ut subinde titulum  
 legat, memineritq; eum, nō comœdiam tantum, sed  
 eam sacram promittere. Volui equidem anser stre-  
 pere inter olores, ut audacia mea doctiorum segni-  
 tiem extimularem, cuiusmodi haud scio an unquam  
 aliās copiosior, quàm hoc æuo, fuerit prouētus: qua  
 re sæpe mecū stomachari soleo, tam salutarem ope-  
 rā sic iacere neglectam. Sunt in propinquo hic Cor-  
 nelius Grapheus, & Petrus Nannius Alcmarianus,  
 docti apprimè homines, & facilitate carminis, &  
 inuentionis promptitudine, & ingenij festiuitate  
 non uulgari. Sed ne foris quæram, sunt domi & ad  
 manum, ut aiunt, in una nostra Rep. Aemsterōda-  
 ma, præter alios publicè etiam celebres, D. Nico-  
 laus Cannius à D. Bras. Rot. non uno loco lauda-  
 tus, M. Iacobus Iusti fi. M. Ludolphus Hillebrandi  
 fi. utriq; hic diligentissimi pueritiæ formatores, ad  
 hanc rem omnium opinione appositiores. Ille autē  
 etiam ad tragœdiam Christianam, si modo faculta-  
 ti, quam habet maximam, per otium suppeditaret.  
 Ut iam tantam subolescentium ingeniorum spem  
 fileam

## EPISTOLA.

Sileam, quorum ut primi sunt, ita facile maximi futuri, ornatissimi doctissimiq; adolescentes, Sibrandus Occo, & Heimanus Ruischonius. Quos omnes equidem in hoc nomino, ut publice prouocati, adesse tam pio negotio ne grauentur. Atq; utinam uel in posteriore huius ipsius historiae parte, comicam suam facultatem, uel in priore, tragicam experiri libeat, aut, si malint in reliqua bibliorum scriptura huiusmodi argumentorum feracissima, uberem facile materiam inuenturi. Neq; uero nouum quis putet esse quod moneo, antiquum fuit Christianorum studium sacra poëmatijs celebrare, non latinorum modo, ut Prudentij, Sedulij, Iuueni, Aratoris, & D. Hieronymi, qui de Psalterio hexametros uersus iussit. uerum etiam Græcorum, ut Nonni Panopolitani, Gregorij Nazianzeni, & complurium aliorum: sed quod propius ad nostrum institutum atinet, Appollinaris omni scientia insigniter instructus, ut autor est Sozomenus, dominante Iuliano, pro Homeri poëmate, uersibus heroicis Hebraicas conscripsit antiquitates, usque ad imperium Saul. XXIII. libris, iuxta numerum & nomen elementorum Græcorum, ad imitationem Homeri, opus omne partitus. Comœdias item, & tragœdias, lyricasq; odas, Menandrum, Euripidem, & Pindarum

B imita

## E P I S T O L A.

imitatus, ex diuina scriptura sumptis argumentis  
 Stephanus etiam quidā, de Christi cruciatu tragœ-  
 diam cecinisse memoratur. Quin Iesus ille filius Sy-  
 rach inter laudes uirorum uerè gloriosorum illam  
 etiam ponit, quod in adolescētia sua studuerint mu-  
 sicis modis, & celebrarint carmina scripturarum.  
 Cuiusmodi immane quanto fatius erat lubricæ æta-  
 ti, cui, ut D. ait Hieronymus, etiā tuta timenda sunt  
 omnia, quæq; nondum potest uitæ suæ habere mo-  
 dū discenda proposuisse, q̄ ethnicarū fabularum nœ-  
 nias, & in his maximè comicas ingessisse, hoc est, o-  
 leum addidisse camino. Studiū enim humani cordis  
 prauum est à pueritia, ait ipse qui condidit, & docē-  
 les imitandis turpibus ac prauis omnes sumus, ut  
 nullus etiam accedat magister ad eam rem impro-  
 bus. Corrumpunt mores bonos, non modo collo-  
 quia, uerum plus etiā lectio, atq; hac etiam amplius  
 prælectio mala. Scitum est illud Iuuenalis:

Nil dictu fœdum uisūq; hæc limina tangat  
 Intra quæ puer est, procul hinc procul ite puellæ  
 Lenonum, & cantus pernoctantis parafiti  
 Maxima debetur puero reuerentia, si quid  
 Turpe paras ne tu pueri contempseris annos.

Recte proinde D. Eras. Rot. in apologetica collo-  
 quiorum epistola Plautinæ prælectionis permissio-

nem

## E P I S T O L A.

nem propè probro obijcit quibusdam quam & cras-  
sissime facietis Poggij facetijs comparat. Et Lactan-  
tius ille Firmianus in scenis, inquit, nescio an sit cor-  
ruptela uitiosior. Nam comicæ fabulæ de stupris  
uirginum loquuntur & amoribus meretricum &c.  
Copiosius uero in eandem sententiam Aristoteles  
Politic. 7. cap. 17. Potissimum inquit statim  
à pueris nec dicant nec audiant quidquam turpe  
pueri &c. ac deinde: Minores autem neq; iamborū  
neq; comœdiarum sectatores esse sinat legislator  
nisi quū ad eam peruenerint ætatem &c. Lacedæ-  
monij libros Archilochi maximi poëtæ aut certe  
summo proximi, ut Valer. Max. inquit, è ciuitate  
sua exportari iusserunt, quod eorum parum uere-  
cundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. No-  
luerunt enim inquit, ea librorum suorum animos  
imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingenijs pro-  
desset. Pluribus supersedeo, quod epistolæ modum  
excessi, sed si hæc ethnici, quid Christianis censen-  
dum? quibus cœlestis illa tuba edicit: Scortatio &  
omnis immundicia & auaritia ne nominetur qui-  
dem inter uos sicut decet sanctos, & obscœnitas &  
stultiloquentia & urbanitas, quæ ad rem non perti-  
nent, sed potius gratiarum actio. Certe illa à pro-  
phanæ Comœdiæ prælectoribus cautio præstanda

B 2 est, 40

## EPISTOLA.

est, ut rem ex ingenio fictam rudis aetas sciat, quo-  
minus exemplum infidat animis. Notum enim est  
ut interpretentur quidā quasi res gesta, imò quasi  
ab ipsis gesta esset. Quis sic non corrumpereur uel  
ferreus? Hanc igitur qualemcumq; , mi Niueni ope-  
ram, publico pietatis studio sumptam, priuato tibi  
amicitiæ nostræ nomine debitam, & purissimis uo-  
tis tuis, ut Deus Optimus maximus salutarem esse  
uelit, commendo, & meritis tuis non uulgari-  
bus dico, dedicoq;. Precor ut inter sa-  
cras Musas ac Gratias tuas, diu  
fœliciter uiuas. Aemstero-  
dami, natali D. Bene-  
dicti Anno re-  
dempti  
hominis supra  
sesquimillesimum trige-  
simo sexto.

DRAMATIS PERSONAE  
INVITATIO CVM PERIO

cha Comcedia.

**E** Hò Viator, ni molestum sit tibi

Paulisper heic astare, uel morarier,

Iambicos quæso hos legas senarios

Novos, uoluptatem nouam qui nunciant.

Perhendie, hora tertia, in foro, bonis

Pubes auibus Aemstelredama aget sacram,

Nouamq; nec uisam prius comcediam:

Sensis, lepore, argutijs bellissimam.

Veteres, sed absit inuidia, que fabulas,

Pudore, religione, sanctimonia,

Christoq; dignis anteit sermonibus.

**I**oseph qua Hebraeus seruiens Aegyptio,

**O**ris decus uirtute commendans, fidem

**B**eruarare pertinax, heræ falsa, domo

**E**iectus, accusatione in carcerem,

**P**arhone tandem postulante soluitur.

**H**onoribus cumulatus atq; nuptijs.

Si iudicabis in tuam fore rem, ut bonas

Bene colloces horas, adesto tempori,

Et arbiter nostræ benignus opellula,

Et candidus spectator actiuncula.

B 3 DRAM

DRAMATIS PERSONAE.

Mago seruolus. Saphirah matrona.  
Ioseph œconomus Potiphar herus, præfectus  
satellitum regionum, ut qui etiam præfuerit, tum  
carceri, tum ipsi præfecto carceris, ut uidere est  
Genesis quadragesimo.  
Lorarij. Hanno pocillator regius.  
Puer. Guluffa carcerarius.

IOSEPH C C

PETRI F. AEMSTERO DAMI

ACTA SACRAE DEDICATIONI  
ferijs, quom & supplicatum est, ob clarificatum Do-  
mini I E S V nomen inter gentes, Diuina C. M. in A-  
phrica uictoria, M. Ioanne Teyngo Medico experien-  
tissimo & Nicolao Gerardi F. Primis, post frustratam  
ac labascentem, singulari Dei opt. max. beneficio, diuti-  
nam Luterane heresios tyrannidem, hoc Prætoze, illo  
Consule, Orthodoxis AEmstero dami, An. à nato Chri-  
sto M. D. XXXV. Egere ingenui adolescentuli, Pe-  
trus Comes Wlpipaludanus, Franciscus Teyngus, Gui-  
lielmus Syluius, Reinerus Simonius, Ioannes Hudepo-  
lius, Egbertus Rodolphi F. Ioannes Cornelij F. Arnol-  
dus Tielmanic F. & Nicolaus Alardi F.

Edita



Edita M. Cornelio Dobbio Pratore ortho

doxæ fidei obseruantiss.

PROLOGVS.

Trimetri.

**Q**uod esse felix omnibus uelit Deus,  
Pariterq; faustum, quotquot estis candidi,  
Nigros enim nihil moramur, ni prius  
Sese abluant. nouæ uoluptatis nouos,  
Grege à nouo, sum nuncius uobis datus.  
Apporto nanq; non Plauti aut Terentijs,  
Quas esse fictas nostis omnes fabulas,  
Vanas, prophanas, ludicras, ac lubricas.  
Verum ueram, sacramq; porto, et seriam,  
Castam, pudicam, sic ut ipsas Virgines  
Dictasse Musas, ac Mineruam deieres.  
Nouamq; iam scriptam recens comediam,  
Cui iure, cui ex re, Ioseph nomen inditum.  
Nil addo qualis cætera fiet. Cæterum  
Vostum illud esto iudicium. At si illæ tamen,  
Merito omnibus omnium eruditorum notis,  
Censentur esse uitæ speculum, atq; eas  
Spectare cunæti gestiunt, dum copia est.  
Nihil minus, idem huic deferri historie  
Æquom est. ne quid maius dicam, sed uerius.  
Hanc exhibere heic iam cupit, si operam datis,  
Vostri fauore, uostræ ite in spem gratiæ,  
Enceniorum ferias, quibus potest

B 4 Mo

PROLOGVS.

Modis, honestatura sacras, auspice  
Christo, simulq; Gratij's fauentibus,  
Autore Croco, publicæ pubes scholæ.  
Ceterum hoc agamus, huc qua uentum est gratia.  
Ut argumentum disseram comœdiæ.  
Ioseph fideli pectore reuerens Dei,  
Clari parentis filius clarissimus,  
Pudore plus quam uirgineo, cana fide,  
Totaq; uirtutum catena præditus,  
Domi malignis fratrum odijs exercitus,  
Et demum ab iisdem uenditus, in Aegyptiæ  
Delatus oras, seruitutem seruijt  
Satellitum præfecto regionum hero.  
Heic dum gubernat creditam sibi domum,  
Aetate florens lubrica, et forma pari,  
Lubidinosus capte amore amplexibus  
Herc petitus, nescijt corrumpier.  
Fugiens, relicto quo prehensus pallio est.  
Quod recipienti se domum illa coniugi  
Prætendit immerentem Ioseph criminans.  
Eumq; falsis percitus querimonijs  
Hercus, profundo mancipat mox carceri.  
Annis ubi duobus, aut eo amplius,  
Clausus, profecta regi dum diuinitus  
Interpretatur prodigiosa insomnia,  
Et missionem, et rem parit sibi simul,

Dei

PROLOGVS.

Dei fauore, & auspiciat as nuptias.  
Sic uincere animum sucti, quàm quos animus, hì  
Maiore semper post triumphant gloria.  
Adeste sacri: res sacra est ut maxumè.  
Prophani adeste: res prophana est, sed sacrè  
Tractata: quæ reddat sacros, lubentibus,  
Ut par est, auribus recepta, ac mentibus.  
Omneis proin opere maxumo oratos uolo,  
Linguis fauete: & rem totam pernoscite.  
Quòd comicam si forte quis licentiam  
Pedum putarit incessendam, huncce moneo,  
Faciât ne intellegendo ut nihil intellegat.  
Extant bonorum exempla, qui cunctis placent,  
Plauti ac Terentij: quibus, alijs idem  
Licere facere, quod illi fecerunt, puto.  
Quorum æmulari præstat neglegentiam, ac  
Morosulorum obscuram diligentiam.  
Quos ut quiescant potius, & faueant, rogo.  
Nouo, pioq; puerilem pietatulam  
Iuuandi publicè studio, & mores bonos.  
Quàm, ut tam religioso oblatrent negotio,  
Superstitione liuida. & ueteri, in noua  
Re, uerbo ut utar, dent crescendi copiam,  
Nouarum qui spectandi faciant copiam.

B S<sup>o</sup> PRO

PROTASIS COMOEDIAE.

ACTVS PRIMI SCENA I.

Trimetri.

M A G O.



T dura res est Dij, seruum proli-  
bero

Esse, alieni simul iuris & iniurias  
Iniquos adeo dominos hoc seculum  
tulit

Noctes diesq;, plus satis usque est,

& super,

Quo facto aut dicto est opus, quietus ne sies.

AEquom an iniquom imperent, nihil iam pensi habent.

Quodcunq; collubitum est, licere postulant.

At olim heris, tum, quom meliora tempora

Fuere, humanitatis certamen fuit.

Non, ut nunc seruos eodem, quo mulos, habent

Loco. Verum illud duplicat molestiam,

Morosioris forte seruum esse domini

Si contigit, deo irato, quales ferè

Pleriq;. Cæterum multo ille miserrimus,

Heram morosam ferre quisquis perpetim

Cogitur, itidem ut nos hancce, iurgijs sine

Modo modestiaq; quæ scatet muliebribus.

Nulla adeo ex caussa rixarum ipsa autor sibi.

Quocirca me foras eduxi ex ædibus

Parumper, heic ut nauseam leuem, modò

INTUS

COMOEDIA SACRA

Intus conceptam. quæ quidem quàm commodis  
Pridem esse moribus solet. nulli grauis  
Herus sed postquam liberius cœpit suis  
Iam pridem in seruire officijs, domo frequens  
Abesse, Hebræi fretus œconomi fide,  
Aut bile oportet, aut amore percitam.  
Sed comprimenda uox est, atq; oratio.  
Crepuit fores. mirum ni ipsa exit. ut nihil  
Quieti loci relictum? eccam ipsa adest tibi.  
Utinam mihi heic esset quò me præcipitem darem.  
Iam iurgio enecabit credo, imò scio.  
Proinocyus hinc me ut intrò conijciam, optimum est  
Nam si responsam, irritem magis.

ACTVS PRIMI SCENA II.

Trimetri.

Sephirach.

Mago.

**H**Em, quid rei  
Tibi heic cessator? iam ne missus obsecro  
Manu? quid heic monstri alis? Mag. Ehò, dixin' hoc  
fore?  
Seph. Hoccine agis, an non? Ma. Ego uerò isthuc mea  
domina, Seph. Ut  
Te Iupiter Diq; omnes perduint scelus,  
Quo nullus est scelestior qui uiuat hodie.

Neque

Hic se-  
narius  
perfici-  
tur ini-  
tio sce-  
næ inse-  
quētis.

COMOEDIA SACRA

Nequeon' ego te interdictis audientem meis  
Facere? abi intrò, & quod facto opus est, face. ni uelis  
Cerebro heic tuo uias dispergier. Mag. Lubens.

ACTVS PRIMI SCENA III.

Tetrametri Iambici, partim Acata-

lectici, partim Catalectici.

Sephirach.

**P**RO Dij immortales, quod genus hoc hominum? quæ  
hec coniuratio est?

Vno omnibus animo unum æquè studium est, esse aduor  
sòs heræ?

Iam' ne abijt ille? dicere heic quiduis licet? nimis male

Ego hunc metuo, ne' mihi ex insidijs uerba imprudens  
ti duit.

Circumspectator, cum oculis emissitijs. ita usq; me

Obseruat malus, ah Ioseph, Io eph, quid ego nunc te laib  
dem?

Vt dissimilis es seruorum aliorum? sane nunquam quidò  
quam

Ita magnifice dici potest, uirtus quin id superet tua.

Quæ mentem animumq; excantat mihi, prorsus ut obli  
ta sim mei.

Non ista uolgaris, quæ spe metu'que officium facit  
suum.

Verum

COMOEDIA SACRA

Verum germana, uero quæ studio facit.

Sena-  
rius.

Sed mihi nimium proba, aduersus animi sententiam mei

Vel proxumè quã grauiter appellanti respondit, Deũ

Scelerum esse uindicem, nullum quem prætereat flagi-  
tium?

Atqui maiores hi sunt ignes, uerbis quàm qui extingui

Queant. respondet par uirtuti forma, plusquã humana

Conueniunt mores diuini, morumq; amabilis gratia.

Tum index ingenij, animi que speculum, oratio, quàm

cordata?

Quid uerbis opus est? nihil pote supra. credo equidem

uirtutem

Vnã & naturam, in hoc certasse ornando. quid' que  
possent,

Vires periclitari suas uoluisse. ut non pudori

Mihi esse iure debeat, uni huic culpæ succubuisse.

Nequeo durare. tantum mihi in pectore amor facit in-  
cendium.

Qui amaro & mœrore me implet nimio. perij. at ipsa

Sperabam in felix, & gratiam imituram ab eo. mihiq;

Fauore tam obuiio sic deuincturam, nihil ut quidquam

Recusaturus esset. quis etenim seruos homo tantam

Benignitatem herilem non cupide amplectatur, atq;

Etiã bene secum esse actum dicat? imò non magnæ

ducat

Felicitatis loco, heram habere supplicem sibi suam?

Quid

COMOEDIA SACRA

Quid igitur faciam? quid restat miseræ mihi? cheu. ne  
queo

Quin lacrumem. quanto minus spei est, tãto magis amo  
Nulla est me miserior. domi quæ quod amem assidue uis  
deam,

Neq; potiri liceat. nec qua uia sententia eius  
Flecti possit scio. sepe iam eius tentavi animum, sepe  
Prehensum solum adorta, monui cum bona potius mihi  
Ut obsequeretur gratia, quàm cum mala. frustra os  
omnia.

Repulsa. spreta. rursus illi supplex fiam, qui precibus  
Magis indurescit? meq; aliarum ex moribus extimari  
Patiar, iniuria quibus amorem addit miserè? non fa  
ciam.

Et si me amor grauius tenet. potius me ita compar  
rabo,

Non perpeti superbi fastidia. quod utinam possem,  
Nihil prius, neq; fortius. magis lubet putare,  
Haud obstinatione mihi negasse, sed pudore.

Illud cogito, si forte tandem expugnari queat, tanto  
Deinde in amore futurum mihi constantiorem.

Experiar itaq; etsi iam sepe me spes hæc frustrata est.  
Deos queso benignus erga me ut sit. quod cupiam ne  
grauetur.

Aggrediar blande, ac benedice, spero emollescet. sa  
tis ne

Sic



COMOEDIA SACRA

Hic culta incedo? satin' hæc me uestis decet? dedi equis  
dem

Operam sedulo ita poliendo atq; ornando hunc contris  
ui diem.

Vah, salus mea seruasti me, optumè ipse exit foras  
Diem festiuom, & amoenitatis plenum hunc. ô faciem  
bene

Pulcram. quantum ore egregio decus émitet? quæ gra  
tias

ACTVS PRIMI SCENA IIII.

Trochaicitetrametri, catalectici.

Ioseph. Saphirach.

**H**ic heram astare aiebat Mago. atque eccam.  
Seph. Nunc est mihi

Adeundi ad eum tempus accessero. Ios. Quid huic heic  
est rei?

Seph. Dij mihi uortant bene. Ios. Pax tibi hera. Seph. Io  
seph mi, maxumè

Animo exoptate meo, mea uita, mea uoluptas unica.

Ios. Ecce autem iterum. Seph. In quo uno, spes opesq;  
sunt sitæ meæ

Omnes. Ios. Eia. Seph. Per, ego te Deos, oro, misereas  
mei

Te, cuius tibi potestas summa seruandæ datur.

Ios.

COM OEDIA SACRA

Ios. Missa isthac face. Seph. Quid? missa? o Ioseph, Ios.  
seph, utinam mihi,  
Utinam esset pars æqua amoris tecum. Ios. Ah odio me  
enecas.

Seph. Ita'ne odisse tibi uideor, amore quæ pereor tuis?

Ios. Obtundis. an ego quæso, toties de eadem re audia?  
Equidem te alia de causa adij, si pateris. quod mihi  
tua

Intus opera sit opus. Seph. Et mihi heic tua mea amœ  
nitas.

Ios. Si quid uis æqui ac boni, tua est. utere atque im  
pera

Si quid honesti est, non defugiam autoritatem.

Seph. Hem, dignior

Fuit'ne quisquam amore quid esset? non humanum est  
per deos

Credo. nec mirum, si te mihi difficilem præbeas,

Tam bellum, atque præclara uirtute. Ios. Ne te longius

Amor, ac ueritas prouehat. Seph. Hau, sic est. uera præ  
dico.

Ios. Si quid istiusmodi est, Dei munus id est. non mihi

Ad alienam datum iniuriam, sed ad honestatem pro  
priam.

Seph. Hei, quid formose auertis ocellos istos, solis mihi  
Huius luce gratiores? aspice in me. ita te beet

Semper amor. Ios. Decet non animum habere modo, sed  
oculos

## COMOEDIA SACRA

oculos item

Continentes. Seph. Eia. nihil nimis. summa uitio nihil  
Interest uirtus. decebat te quidem prioribus  
Neutiquam repugnare precibus meis. tum, quòd tibi  
Hera sum, quæ imperare meo pro iure possum, & cogere,

Quæ uelim, ut facias. tum, quòd uehementi capta amor  
re tui.

Qui mihi tantum abest ut se remittat, ut magis ac magis

Crescat indies. neq; iam par esse diutius queam.

Meq; cogit dignitatis obliuiscier meæ.

Tu contra, obliuiscere modo conditionis mihi tuæ.

Et quod ultro defert domina, uotis etiam, si sapis,

Optandum, accipe, dum tibi copia est. dumq; etas fert  
tua.

Quæ tua forma sit uides. Ios. Formæ atque ætatis gloria,

Fluxa et fragilis est. uirtus demum una clara æternaq;.

Vera forma est, oculis quæ placet Dei, quæq; prouocat

Ad honestatem. non quæ mentes lubricas mortalium

Sauciat. sed non est consilium hera. Seph. Cur non lux  
mea?

At quæso, in rem hoc tuam erit. Ios. Ut quidem emos  
riar, prius quàm eò

C Demens

COMOEDIA SACRA

Dementia ueniam. Seph. Quæ hæc pertinacia est? non credidi

Equidem adeo inhumanum fore. eodem tu nempe, ac ceteri,

Ingemo es. qui semper muliebri lubentes sunt malo.

Obsequere sane. ac corrige, quod pridem peccasti. non uas

Nec preces expecta. haud decet istos mores tam amabilem,

Istam formam ita liberalem, istam denique animi indolem

Adeo generosam, superbia, ne in principe quidem uiro

Toleranda satis. Ios. At decet constantia, neque moribus

**Docet** Conuenit, nec legibus Hebræorum, ut alienum thorum

hoc iudi Violent. sed prima tuendi pudoris cura est. integri,

ciū Ta- Nuptiarum fœdere iungantur sponsis ut integris.

mar, Ge- Ne tu igitur mihi, quem amare dicis, noceas. sed sine

nesis. 38. Quam tribuit Deus sortem, tueri. Seph. Imò, ita uolo, respice

Seruitutem tuam. Ios. Equidem corpore seruos sum, non item

Animo. hoc me, haud illo, metiri par est. Et tuum quoque

Si respicias animum, potius quam istam, quæ te huc impulsit,

Conditionem herilem, Et fœmina tibi laudem probæ

Auferas, Et mihi demas molestiam. quotidie

Quæ

COMOEDIA SACRA

Qua me obtundis miscrè. nam uel sermones isti tui,  
Lapides mihi uidentur meri. unde astumes licet,  
Quanto res sit ipsa odio, neq; iniuria. non mihi,  
Ne quid erres, seruitute cessit extinctus pudor.  
Sape indignum quæ premit uirum. proinde istam pre-  
cor,

Exue mentem mea hera. spemq; consequendi omnem  
abijce.

Quæ quidem, ut temere sumpta, huc te cupidinis per-  
pulis,

Ita penitus abiecta, in tranquillum cito restituet sta-  
tum.

Quàm multas fuisse nobiles matronas credere est,  
Quæ forma captæ aliena, tamen animo tēperarint suo.  
Nec turpi uoluptati decus pudoris cesserint?

Iudicium, non affectum, qui semper inconsultus est,  
Adhibe in consilium. finem respice. nec tam considera.  
In presentia quid, quàm quid semper placiturum fiet.  
Nunc uelle iuuat. mox uoluisse pigebit. at quanto qui-  
dem

Satius, eas cupiditates proponere in animo sibi,  
Quas & expetere honestum sit, & assequi præclarum  
illud

Scitum est, non admittere, quidquid corrigi nunquam  
potest.

Nulla reparabilis arte, semel lesa pudicitia est hera.

COMOEDIA SACRA

Seph. Facile tu isthæc fabulare, mei securus. ast ego  
Sentio misera. non potis est. nam si tam tibi amari gra-  
ue est,

Quid mihi sit amare cogita. emoriar nisi impetrem.

Ios. Isthuc sanè, præstat, quàm sese scelere nefario

Commaculare. Seph. At uolgò id faciunt. uitium com-  
mune omnium est.

Ios. Ut sit, tanto nos eam maculam effugere gloriosius.

Cogita tibi matrimonij non uiolandam fidem,

Nec mihi seruitij. talem etiam maritum neutiquam

Fallendum tibi, neque mihi herum, de me tam meritum  
bene.

Quod si cogites, remittas iam me onerare iniurijs.

Ei'ne ego tantam malè gratus reponam contumeliam,

Pro immortalibus eius beneficijs? tum uerò pessumo

Peior, ac malo quouis dignus siem. Seph. Amandus is  
quidem.

Digna qui præmia præclaris meritis reddiderit tuis

Sed beneficium promeruisse, rettulisse gratiam est.

Neq; nos nihil merita sumus. at enim illum facile late-  
bimus.

Ne' quid te hoc sollicitet meticolose. Ios. At non Deum.  
neque

Latebra ingenuo impunitatis spes, sed innocentia est.

Adeon me ignauom putas, aut porrò ingratum, aut per-  
fidum,

AHT

COMOEDIA SACRA

Aut prophanum, ut neque benignitas me neque pudor  
neque

Religio commoueat? neque commoneat ut seruem fis  
dem?

Tum, noui probè heri animum. aduortit grauitè, quæ  
non censeas.

Seph. Oh, illè ne, qui ipsus me negligit? ne quid uerecare  
mihi

Isthuc curæ erit. Ios. Et mihi quidem, ut ne cauere quod  
queam,

Stultè admittam nam. Seph. Hau, nunquam'ne concedes  
mihi? frequens

Solitudo domi. illius porro quotidiana absentia.

Pax. & si quid maxumè subsentiat, putabit eo

Te mihi charum esse, quod ipsi intelligam esse charum.  
ita

Vt uirtus meretur tua. Ios. Decet ingenuum sinceris  
tas

Sine fraude, etiam si latere possit. nam sibi reus

Quisq; est, prius quàm alijs. Seph. Olim isti uirtuti quor  
dam fuit

Laus apud seculum prius. nunc hoc, aliam iam uitam

Affert, alios mores postulat. isthuc sapere est, nunquam  
ita

Offirmato esse ad uitæ institutum animo, quin suadeat

Si quid conducibilius res, etas, aut usus tibi,

COMOEDIA SACRA

**A**mplectare. Ios. Quin, cum turpitudine esse nihil potest

**C**onducibile. Seph. Ohe, ne'tam seuerè quaeso. oculos age

**H**orsum in me tuos defleete mea lux. intuitum simul

**E**t basiolum largire. isthuc ut fas sit pignus tui

**M**ihi ferre. Ios. Atqui tu illud scito, flamma fumo est proxima.

**S**eph. Hoc nihil dicis. abi. nunquam cresces. nescis obsequi.

**I**os. Nil laboro crescere per flagitium & turpitudinem.

**S**eph. Hei,

**N**e tam offirma. acerbum hero funus facies, nisi tui

**M**ihi copia fit. exorem sine. gerito amanti morem mihi.

**I**ta herum industria, me obsequio demerueris. & gratiam

**A** me solidam, perpetuamq; inieris. ac bene stabilem.

**I**os. Auortat Deus, ut animum humani fauoris gratia

**A**d malas unquam adducam partes demens. potior bene

**N**atis institutisq; esse debet semper ingenijs,

**R**atio honeste uiuendi, quàm gratiosè. Seph. Ah des sine.

**F**rustra tu isthac fabulare, quæ mihi animum accendunt magis.

**S**i unquã erga te animo esse amico mi Ioseph, sensisti, uti

**H**anc mihi unam gratiam des pro illa, nũc ego te rogo.

Mis



COMOEDIA SACRA

Misereat te mei, bis miseranda, & amantis et foeminae.  
Quod ego te per has lacrimas oro, & Genium tuum  
per mala

Mea, quorum tu unus potes esse leuamen. Ios. Ah, ne me  
obsecra.

En, dominus meus cuncta meae fidei mandauit, mihiq;  
In manum adeo tradidit, omnium ipse securus. neq;  
A mea quidquam exemit potestate, extra unam te hera.  
Qui tandem ergo in animum inducere potero tantum  
mali,

Vt peccem in Deum?

Mono-  
meter.

Seph. Quod gratis datur boni amittere Ioseph, inscia  
tia est.

Ios. Atqui isthoc bono nihil peius, nec est mihi, nec tibi.  
Sed nusquam me auclles. sat habeo offirmatū isthuc, Deo  
Excelso fretus. Seph. Miseram me ergo disperij. hez  
mihi.

Ioseph, Ioseph, prò, prò, ego iniquis nata fatis. siccine  
Decipis me, ita blanda fronte dirum adeo animū tegēs?  
Ios. Imò tu me decipis. nam ego tibi nihilo aliter sum,  
ac fui.

Tu, mutatis moribus, iniuria pro beneuola es mihi.

Seph. Ingrate, nuncubi beneuolentiam meam

In te sensisti claudier?

Ios. Non equidem eò dico mea hera. sed quod quotidiana  
nis tuis,

COMOEDIA SACRA

Tetra.  
Iambi.

*Surdas iam aureis reddidisti mihi, appellationibus.*

Seph. *Crudelis, quum tam commodum conseruis pres  
beas tuis,*

*Egon' una tam durum experiar? an me in misera per  
riculum*

*Facere uis, grauitas & inhumanitas quid nam possit  
tua?*

*Si amore non flectare, senties quæ odium ferat meum.*

*Vel ex coacto, amorem explebo meum tamen.*

Trime.  
iambici.  
Tetra.  
iambi.

Ios. *Amor affectu exhibetur, haud ui cogitur.*

Seph. *Vltro ad uirum querelam deferam. Ios. Falsam.*

Seph. *Quem sic tibi  
incensum reddam, ut ne restinguas, lacrumis si extillas  
ueris,*

Ios. *Non sunt isthæc iam, amantis dicta. Seph. Senties  
iam, quæ siem.*

*Virum si noui, debitas scelestus hero poenas dabis.*

Ios. *Miseret me tui. Seph. Ten' me irridere inultum ser  
uom hominem sinam?*

*Mortuam me malim. Ios. Quod serundum erit feram  
deniq; animam*

*Potius relinquam. Seph. Itan' solido ex adamante pes  
ctus est tibi,*

*Vt neq; lacrumis, neq; precibus, neq; prccio flectiqueas?*

*Vide quid agas. Ios. Stat sententia. Seph. Nimis prafr  
ctus es. Ios. Mihi*

SUNE

COMODDIA SACRA

Sum. Seph. Imò uero mihi miseræ merito haud meo.  
Sed per Deos, si quis precibus locus, caue neu me adde-  
geris,

Vt talis in te fuero Ioseph, qualem ne utiquam uelis.

Ios. At tu caue commiseris, ut ipsa talem te mihi  
Exhibeas, qualem ne utiquam decet probam. Seph. Hei,  
cur ita

Apertè indicas malitiam? saltem lactares spe aliqua.  
Ios. Haud meum est.

Seph. Si non ames, tamen odium tegeres. sed quid stulta  
hunc rogo?

Satis ne fastidit mei? o facinus indignum. nunc ego  
Et illum scelestum esse, & me miseram sentio. nec quid  
agam scio.

Abeo intro, quando proficio nihil. tu uideris scelus.

ACTVS PRIMI SCENA V.

Tetrametri Iambici, acatalexici.

Ioseph.

**A** Bist. Deum immortalem, ut insanum est amare?  
prohibeat

A me Deus tantam amentiam. sed quantum intellexi  
modo

Eius sententiam, aliquid hæc mihi conficiet mali. ne-  
que

C S Quid

COMOEDIA SACRA

Quid agam, aut quid consilij capiam scio, si huic obsequor, Deum

Offendo. sin repugno, huius minas timeo, noui probe Ingenium mulierum, uehemens in utranque sic partem nimis,

Siue in amorem, siue in odium. neque Deum, neque homines respiciunt.

Nec equi ratio ulla constet aut boni, dum quod student Effectum reddant sibi. sed quid mea? quid timui autem belua?

Præter culpam & peccatum, nihil homini accidere potest graue.

Quiduis satius est perpeti, quam uirtutem relinquere. Cedat quod cedere æquom est. appetitus rationi pareat.

Voluptas uirtuti, corpus animo ancilletur uile suo.

Ne sic insaniam, ut tranquillam recti conscientiam, & Quietam mentem, maxumum utrisq; in rebus solatium, Turbida & inquieta permutem. Tum, castitatis usque sunt

Amplexus dulces. mellis plurimum, fellis nihil trahunt.

Amoris contra etiam mel, fel merum est, ex uero si aestumes.

Lubido, ut auaritia, inexplebilis est. melius que cauetur haud.

Exper

COMOEDIA SACRA

Experta, non sic mci me assuefcere parentes, ut thori  
Subseffor alieni fiam. Verum pudicitiam, simul  
Pudorem rectum, & sedatum cupidinem, Dei metum,  
Benefactorumq; amorem docuere, & fidem. Ego ne er  
go domum

Eam, in qua clementer adeo sum habitus ac liberali  
ter,

Incesto polluam impius? perij. hanc ferat uirtus no  
tam?

Nimis ignauos sim, si, quom fratres, ob sororis liberae **Gene. 34**

Puelle raptum amoris uiolentia concubitus, nuptijs

Pensandum regijs, uiris ad unum caesis, reliquam

Spoliarunt urbem, ego tantum facinus mollitia admit  
tam mea.

Si obliuiosior sum, uel locus hicce redigat in memo  
riam, **Gene. 12**

Seuerè castigatum à Deo Parhonem, cum domo sua,

Ob uerbum Sarae proauia mea. & uicini Abimélech **Gene. 20**

Simili in re coërcitam uoluntatem. Qui'd Noah ille, ge  
neris

Nostri orbisq; instaurator? ac Loth item aui patruelis  
mei?

Nonne inter omnis summam turpitudinis licentiam **2. Pe. 2**

Honestatem sanctè tutati sunt? nec illum totius

Exemplum mundi fregit, hic contra regionis uitia **Gene. 6**

Totius tenuit sanctitatem? proin ille diluuiò à Deo est **Gene. 19**

Ere?

COMOEDIA SACRA

Ereptus, hic incendio. non ego nunc primum scilicet  
Aduorsa ferre didici. sed quidquid feret Deus, cui  
Sic est placitum, feram usque, & perferam, ipsius ope.  
fortiter

**Senarij.** *Malum qui patitur, idem post potitur bono.*  
*Sed sic uerba hęc facio, quasi negotij nihil fiet.*  
*Ibo intrò. Hei, quàm timco, quorsum hęc res euasura sit*  
*mihic?*  
*Ita obstinatè operam dat, ut me illiceat, ò Deus, tibi*  
*Me commendo, & salutem meam. queso impium cupio*  
*dinem*  
*Compesce domina, & me adiuua, ne animum labefactet*  
*mihic.*

ACTVS SECVNDI SCENA I.

Trimetri.

Intus.

**P**erij misera, uæ mihic, uostram fidem obsecro.  
Properate. ferte auxilium imbelli foemina.

Ioseph effugiens.

**S**ancte ò pudor, quæ hęc est audacia? hoc cinea  
est  
Muliebri factum, aut inceptum? hoc cinea officium  
Hera? modò ut introi, forte illa solitudinem

Nacta

## COMOEDIA SACRA

Nacta, ferox, palliome apprehendit. ad se trahit.  
Procax & importuna lubido est. tum, impotens  
Autem foemina. si pergas aduorsarier,  
Ex insana insaniorem facias. sentium  
Similis est. quem quem attigerit, malo aut damno affi-  
cit.

Atq; illud ipsa discit experientia  
Semper, cui cum illis res incidit. itaq;  
Cuius finem haud uidi, abrupti negotium.  
Vestem amisi. pudorem sed mecum extuli.  
Nudus non est, nisi culpa quem nudauerit.  
Pudicitia, decus ipsa suum est. Videlicet  
Quae extra nos, nihil ad nos. animi demum bono  
Solius, & propria sunt, & aeterna. fuerit  
Sanè, fuerit patientiae, haecenus improbas  
Tulisse preces, seruitutis respectu meae. at  
Tam apertam ferre contumeliam, mera  
Quidem sit ignauia. mori me satius est.  
Dum uerbis egit, uerbis uerba rettuli.  
Nunc ita tulit necessitas, res ut forent  
Referendae rebus. inuitus feci. nisi  
Quia necessum fuit, nam quid' agerem, nisi  
Ut me, quam minimo possem, captum redimerem?  
Sed quum cogito, succensere illi, iniurium  
Me fit. quando otio perpetuo, fomite  
Nimirum summo amoris, corruptae nihil

Quod

COMOEDIA SACRA

Quod faciat superest, prater amare. ceterum  
Mihī nulla iure sit peccati uenia.

Vtinam hoc sit defunctum modò. Vnde quomodo  
Me expediam incertus sum. ita subito obiectum est  
mihī.

Neq; cunctandi copia est. herus iam aderit scio.  
Peiore non potest, res quàm in quo nunc mea est,  
Loco esse. Vah, nunquam seruorum æquè ac modò  
Mihī dura uisa est conditio. papæ. quæ illa  
De me iam confictura hero est, ut uidi eam  
Esse habitam? imò quæ non confictura est? satis  
Eheu constat, quàm amari sint in fœmina  
Stimuli, lubido & ira, quæ uiros quoq;  
Quæ non audere scelera cogunt? quid igitur  
Faciām? aut quamnam causam afferam? dicam or  
dine

Vt res habet, meq; expurgem? minimè opus est.  
Neq; placet, tantas ut turbas domi excitem.  
Quod sanè nolim, maxumè heri causa mei.  
Scitum est profectò, & in medijs malis ea  
Sapere secum, quæ sapere est opus, tum, ipsum id malè  
Metuo ut credat mihī. soli, etate lubrica,  
Et indulgentia tanta. sat est meum  
Fecisse officium, si non id fama approbat.  
Tacebo. & si mihī magnum ex hoc malum scio  
Paratum. præstat suum tolerare incommodum,

Quam



COMOEDIA SACRA

Quàm malè alicnum labefacere commodum.

Illiberalis prorsus est animi, sui

Studio, alienam extimationem ledere.

At, at, eccum · herum uideo . actum est . nisi quid opis

Deus

Dat, disperij. abeam an maneam, adeam an fugiam

Incertum est. una hæc spes est, quidquid accidat,

Dei sumus. postremò, quandò conscius

Ego sum mihi, à me culpam esse hanc procul, nihil

Mali accidere, innocentia incolumi, potest.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

Tetrametri trochaici, catalectici.

Potiphar.

**M**agnam sibi quietem comparauit, seruum qui  
bonæ

Frugi comparauit sibi. per quem, præsens absensque  
item,

Defecato esse animo possit. uti ego, quom Ioseph meum  
Emi, felix, de Ismaëlitis negotiatoribus.

Qui mihi iam inde, usq; seruijt obsequenter maxumè,

Iuxtaq; fideliter. atq; ex animi sententia mei.

Nec minus etiam, quod uel primum puto, feliciter.

Vt, quo cum Deum esse. prosperantem cuncta sub ma-  
nus

Eius

COMOEDIA SACRA

Eius, sensi. Itaq; feci, ut iusta illi apud me seruitus  
Esset. neq; adeo indigentiam desiderare meam.  
Nec benignitatem posset. ac deniq;, cunctis eum  
Præfeci, otioso mihi ut esse liceat, atq; animo obsequi.  
Sic uita est. heris morigerus esse, eorumq; per omnia  
Inseruire commodis, incommoda atq; iniurias  
Omneis conseruorum ferre, & tegere contumelias  
Sibi studio habet. nulli lædere os, aduersus nemini,  
Compositus, pudens, modestus, placidus. scire est libe-  
rum  
Ingenium, atq; animum. sic fiet modò, ut nunc est, que-  
so Deos  
Deasq; omneis. Atqui hic profecto captus, est rarissimus  
Id genus quis sortiatur ut seruom. contrà improbum  
Et seruom frugi malæ, nihil est negotij ubilibet  
Nancisci. qui ad heri fraudationem demum, callidum  
Ingenium gerunt. in quibus hero nihil quidquam est  
præsidij,  
Si absit uspiam, aut ubi si cesset. Itaq; iam heris quidem,  
Penè tanquam ægris ex medicorum præscripto uiuen-  
tibus,  
Vix pedem, miserum, efferre domo conceditur. Ab hac  
ego  
Expediui me molestia, pariter ac rem meam  
Constabiliui. Tum, est et alterum, unde iure mihi placeat.  
Quod

COMOEDIA SACRA

Quod habeo uxorem ut uolo, placidam, probamq; quæ  
me amat,

Et magni facit, suos pudicæ itidem ut uiros solent.

Quam ego contrà amo. Proinde duas has res habere  
me,

Præter alios, præcipuas arbitror uelit Deus modo,

Vt sint perpetuæ. Sed quid hoc negotij est?

Proh Dii immortales, quem conspicio exanimatum, ex-  
peditum,

Pro foribus? est ne hic ipse, quo de agebam? & certè is  
ipse est.

Perij hoc quid sit uereor. nequeo satis mirarier. neq;

Conijcere scio, mihi nescio quid animus præfagit mali.

Senarius  
Iam. te-  
tra. cata-  
lectici.

Acatale-  
ctici.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

Iambici, partim tetrametri, catalectici

& acatalectici, partim trimetri,

admisti trochaicis qui-

busdam.

Ioseph.

Potiphar.

Mago.

**E**heu nec quid agam, neq; quid huic respondeam  
scio. & pudet

Carere lacrumis, in maximas subito redactum

Has calamitates quas oculi, mentis bene consciæ testes,

Recusant fundere, nisi, sic faciam ut constitui.

D

Pot.

COMOEDIA SACRA

Pot. Per tempus aduenio. Hem, quid isthuc obsecro est  
mali? satin?

Salua? dic mihi. files mi homo, atq; ora pudibunda cono-  
tegis?

Quid est pudendum? Hei mihi. quid me absente turbato-  
rum est domi?

Quid sic ingemis? ecquid taces? diuinus haud sum nec,  
nisi

Audiero, cognosce queam. Heus, heus, prodito aliquis  
actutum.

Ios. Here mi. Pot. Quin dic, quid est? Ios. Perij. Pot.  
Dij melius faciant. sed

**Trocha.** Quid peristi? quidquid est, eloquere age ocys mihi.

Ios. Ah. Pot. Quid ah? age, ingenuè mihi fatere, uti so-  
les.

Haud clamte est meus in te animus ille amans tui, &  
propensior,

Scito, ceteris quàm erga suos esse famulos solet.

Ios. Fateor mi here. & immortales tibi gratias habeo,  
atq; ago.

**Iambici** Mag. Presto sumus here, si quid uis. Pot. Quæ noua res  
**tetra.** domi? quæ res noua est

**Trime.** Quæso? tacetis? Hem, quid tandem hoc est rei,  
Quòd mihi eodem omnes sitis affecti modo?

Ios. Mi here, equidem id te arbitrari, quod res est, ues-  
lim.

Quid

COMOEDIA SACRA

Quidquid huius factum est, culpa haud factum est mea.

Sed ita tulit necessitas in eum res redierat locum.

Tetra-  
meter.

Pot. Quae, malum, res?

Cesso hinc ire intrò, ut hoc quàm primum, quidquid est,  
certum sciam?

Tetra-  
meter

Vos istum asseruatum curate mihi tamen.

Trime-  
ter.

Epithasis Comœdiae.

ACTVS TERTII SCENA I.

Iambici trimetri, admistis tetrametris qui-  
busdam, tum acatalecticis, tum  
catalecticis.

Potiphar. Sefhirach. Ioseph.

Lorarij.

**P**Rò Deum atq; hominum fidem exillon'tam illibe-  
rale esse facinus

Tetra-  
acata-

Ortum? Sep. Sic res habet ut dixi mi Domine. uel hocce  
pallium

Documento est, ipsiusq; fuga, & tota clamoris testis  
mei,

Vt audisti, familia? Pot. Me miserum, ut nulla homini est  
felicitas

Diuturna in uita? quin si leti quid euenit, illico

Acerba multa se cumulant. quae mihi nec opinanti ac-  
cidunt.

Euge serue bone, columen uero familiae.

Trime.

Cui maxumam habui fidem: tun' illam scelus? keram? aut

D 2 Me adco

COMOEDIA SACRA

Me adeo dignum putas, quem illudas? Ios. Occidi.

Hem, mortuus quam uiuos nunc sim felicior.

Seph. Nimia illa licentia euasit tantum in malum.

Non te ille uirum, sed foeminam retur. Pot. O nouam

Audaciam. quid ais impure? an non est uiri

Isthuc scelerati prorsum, & perditum? Seph. Ista ne

Indigna, & intoleranda, quaeso per Deos?

Ios. Tacen' tu? Seph. Minitatur etiam caruifex.

Mirum, ni quod concinnat iam mendacium.

Caue isti quidquam credas mi uir. qui, in malis

Ut fit, quae conferant sibi, loquetur. Pot. O

Ingentem confidentiam. tantamne rem

Tacita ut ferat postulas? ita depudatum est semel?

Ios. Here, ne me spectes. Pot. Ego te furcifer,

Si uiuo. haecine te flagitia facere? haecine

Te admittere indigna esse ausum domo mea?

Seph. Ec' quid pudet? Ios. Pudere oportet eatenus,

Qua res ferat. Seph. Vbi nunc fas, fidesq; est, & qui  
erat

In falso tibi plurimus ore Deus? Pot. At uide,

Quam immerito haec Ioseph aegritudo oritur mihi

Abs te potissimum? qui te penè à puero

Curauit sedulo docui, monui, bene

Præcepi & feci semper, quae potui, omnia.

Neq; semel complexus, fouere destiti.

Propterea quod seruiebas liberaliter.

Habui

COMOEDIA SACRA

Habui, amavi, atq; ornavi pro meo, deniq;

In omnia mea ius tibi feci, adductus tua

Ista modestia, moribusq; omni à dolo

Et perfidia, visus usq; alienissimis.

Nunc de repente, benignitatis iam mea,

Tuaeq; fortunæ immemor, pro maxumis

Meritis hanc ingratiſſime gratiam refers.

Mihi? pro merito optumè hoc præmij repēdis? Seph. Ut

Semel hypocriſis omnis ſe detexit tua?

Nunc quòd fidelis & modestus antehac

Visus es, id non fuiſſe ex vera uita, neq;

Animo ingenuo, palam nempe eſt. Ios. Mi here. Pot.

Quid mi here?

Ios. Vix contineo, ſed me reprimam. Vnum hoc quaſo,

né mihi atas

Obſtet. néve ex aliorum iudices ingenijs ſodes.

Seph. Os impudens, & ferro inurendum. imò iam ea

Ætate es, ut non ſit peccato ignoſcier

Acquom. Ios. Nam quid peccaui, aut commerui an quia

Non prorsus iniuſta obſequor?

Seph. Quid ais uenefice? iſthuccine tu me rogas.

Qui me, & herum, & familiam dedecoras? uel fuga

Tua id tibi, quod quaeris, reſpondeat quid hoc

Loquitur pallium? Pot. Eho propudium. qui me ſtipitè,

Haud hominem, cenſes. etiam ſperasti inficias

Tantum ire poſſe nefas? adeo ne te neq;

D § Pietas

Tetra.  
catale.

Trime.

Dimeter

Iambi.

Trimet.

COMOEDIA SACRA

Pietas, neq; ius & æquom, in officio, improbe,  
 Continere poluere? Seph. Vide, impudentia quid facit,  
 Et præceptus cupiditas? Pot. Proh ingratitudinem,  
 Dijs hominibusq; inuisam. Seph. Ingrato homine nihil  
 Quidquam scelestius, nimio præstat mortuum  
 Quàm ingratum esse. Ios. Istam caui turpitudinem  
 Sedulo. Pot. Parum est cauisse, non cauere. Ios. Nil  
 Ego peccaui: nisi peccare est, herò magis  
 Fidum esse quàm sibi. Pot. Quomodo sacerrime?  
 Fuiſti, non es fidus, tum beneuolentiam  
 Expertus es meam, nunc iram senties,

**Mono-**  
**meter**  
**trochai-**  
**cus.**

Quando huc prouocas.  
 Seph. Acquom est, gratiã qui ferre nescit, offensam uti  
 Ferat. Ios. Here, ut seruom inculpatum usque gesserim,  
 domumq;

**Tetram.**  
**catalecti**  
**ci.**

Vt commodis haud aspernandis auxerim tuam, isthuc  
 Et ipse conscius testabere, ita ut, siue introires,  
 Gaudio fruerere tecum, seu prodires foras. Pot. Ridia  
 culum.

**Trime.**

Verbis soluere postulas, quod re malefeceris

**Tetra. ca**  
**talecti-**  
**cus.**

Ios. Si quidem malefeci. Pot. Si quidem? conatus mihi  
 Pro facto est. Ios. Tot iam annos tibi seruiò. an tibi uno  
 quam à me ulla

**Trime-**  
**tri.**

Est orta iniuria? Pot. At id restabat scilicet.  
 Seph. An non est hæc magna satis tibi? Quisquam ne  
 ita

Anis



COMOEDIA SACRA

Animo est omisso, tantam ut contumeliam

Ferat? Ios. Casus humanos qui norit . Sep. Impudens

Hoc'ne euenire maius, aut grauius potest?

Pot. Iam parce sodes coniux. heus lorarij.

Ios. Here, per clementiam tuam te oro. Pot. Satis

Iam satis Ioseph, spectata erga te mea

Est clementia. Seph. Satis & ipsa periculi adij.

Pot. Faxo haud dicas nactum esse, quem derideas.

Lor. Quid'uis here, aut quid imperas? Pot. Abducite

Hunc intrò. Lor. Quémnam? Pot. Ioseph . Ios . Siccine

mecum agis?

Seph. Patiundum est. Pot. Meritoq; id tuo. quom, quæ

non licent,

Haud ueritus patrare, tolera quæ non libent.

Ios. Si deliqui, nullam causam dico here. sed etiam atq;

etiam

Tetra. ca  
tactici.

Vide quæso, quæ in tuos exempla familiareis statuas.

Nam deinde causæ quælibet suffecerint uxori, aut

Alij, si quis cui seruos ex sententia non sit satis,

Acatale  
ctici.

Occasione tatum opus fuerit leui. Seph. Tun' me scelus

Tam diri ausis facinoris insimulare? Pot. Rapite

Trime  
tri.

Inquam atq; auditin? quadrupedem constringite.

Ios. Nunc tandem apparet, amorem qui uocatur & ui-

detur

Tetra. ca  
tale.

Stultis, cum haud amorem esse, sed odium. Seph. Odio

Acatale  
ctici.

sus es. tace, ac

D 4 Seques

Casus huma,  
m sunt, per  
quos fit, ut  
proceris mag  
tuisq; maxime  
obnoxius sit  
miseris et co.  
hinc qis.

Sic Ho.  
Lib.

In similitudine  
et quædam  
in suspensio  
ut dicitur  
adducere.



COMOEDIA SACRA

Sequere infelix. Ios. Infelix est, non qui accipit sed qui facit

Iniuriam. pulchrum est, fidei, uel mortem obire gratia.

Seph. Enimvero, si uir fies, dignum hic iam supplicium luat.

Pot. Nimis iracunde. censens repperire posse ullum seruum,

Vitio qui careat? an quia non delinquent heræ? Seph. Ehò Potiphar.

**Sic Ho.** Aut tu morere, aut sceleratum illum pro meritis perdere exemplo uti

**Iliad. 3.**

Sit, ne quis posthac temerarius, herili ausit pudicitiae

Insidiari. Pot. Ohe uxor, ne seui tantopere. Seph. Quin tu parum

**Trimef.** Perspexisse mihi eius uidere audaciam.

**Terra. acatale.**

Ita me Dij ament. ut uideo ineptam lenitatem nunc tuam,

Et facilitatem prauam, dimissurum cum credo, quò suam

Etiam sic exedificet inchoatam perfidiam. Pot. Inscitia est,

Nimum iræ credere, quæ nescit modum. post statuam.

**Seph.** Non tu illum

**Trime-** Capitis potius, quàm te perdas, et familiam?

**ari.** Equidem cupio misera, in hac re iam defungier.

Sed quæ spes est, illum fore frugi? num pudor

Corris

COMOEDIA SACRA

Corriget? at iam depuduit. etas grandior?

At ea, nunc ut fit, semper addit nequitiam.

Quisquis semel degeneravit, nunquam bonus.

Pot. Nescias uxor, multa accidunt mortalibus

Sepè in uita, atq; etate agunda. quæ uolunt,

Quæ nolunt. Seph. Improbilas alia aliam trahit.

Pot. Hem, quid nam hoc rei? quid hæc uolt improbitas

sibi?

Abi intrò. ego quid facto fiet opus uidero.

ACTVS TERTII SCENA II.

Iambici tetrametri, catalectica.

Potiphar.

**V**AE misero mihi. quanta spe decidi? hoc cine de  
improuiso

Mali mihi obijci tantum? ô tempora, ô mores. quid iam

Credas, aut cui credas, quem ue fidelem habeas, nescias.

adeo

Exulceratissimo iniquissimoq; hoc seculo sunt

Fermentata omnia, fides, fidelitas, amor, pietas,

Amicitia, sodalitas, officia, beneficiaq;

Omniū omnia. sese omnes amant. sua quærunt. sibi be

ne esse

Volunt solis. heu me infelicem. siccine dum ego tua fre

tus

D S Fide

COMOEDIA SACRA

Fide, domo absum demens, regi inserviens Ioseph,  
Tu interea rem tuam curasti, & me in tantum comica-  
cisti

Mali? quem ego semper pudore & liberalitate  
Præ cæteris retinui. quo uicissim, omnibus è seruis,  
Heri nemo obseruantior fuit semper. quæ nunc res  
Repente mores uertit tuos, uirtutem uti lubricum  
Iam posthabeas tuæ? an qui serui sunt, dimidio mentis  
Capti sunt, ut nonnullorum est sententia? nam alioqui  
Non est uerisimile, neq; inducere in animum meum queo,  
Tantam uirtutem tam subito degenerare potuisse.  
Frugi usq; frugi est. sed quàm mira rari pectoris erat  
Præsentia? quæ constantia uultus? quàm ingenua mo-  
destia? at

Res est pauca & clamosa, mens sibi malè conscia. for-  
san illum

Atq; hanc quispiam lusit dolis. sed qui tacet, fatetur,  
Atqui genuina uirtus, innocentia fudit sua.  
Illi uerbofi sunt, qui turpia facta oratione  
Dissimulant. & uerecundiam eius noui, liberalem,  
Et reuerentem mei. ac quom cogito, haud scio an, quæ  
dixit

Vxor, sint uera omnia, quin nonnullum mihi scrupulum odio  
Illo iniecit suo. multa sæpè uerbis exagitantur,  
Quom res secus habeat. Tum, fieri solet ut, qui ipsi in-  
iuriam

Feces

COMOEDIA SACRA

Fecere, expostulent. Iam, ut sit ita, peccatum magnum  
fuerit,

At primū. nemo sapit omnibus horis. nec ita sum calidæ  
Iuente immemor, aut tam imperitus rerum, ut quid a  
mor ualeat

Nesciam. mea potius culpa est, qui nimium lubricæ eius  
Dederim. et at licentiæ. cui tuta etiam timenda

Sunt omnia. si eum occido, seruum perdo, qualem haud  
temere

Iterum inueniro. per quem plurima mihi commoda con  
tigere.

Tum autem, Deum eius metuo. quem mihi per eum us  
que sensi

Esse propitium. Illud existimo esse humani ingenij pos  
tius,

Vt includam, dum deferuescat ætatis calor. ne

Posthâc idem queat, tamen usus mihi ex eo non pereat.  
hunc unum

Hactenus expertus sum fidelem seruum, heriliumq; re  
rum

Amantem. multa qui bene fecit, eius errorem ferre

Aequom est. Iuuenis est. corrigi pensariq; potest, quod  
iam

Mutari non potest. satis profectò mali est ei, qui et

Seruos et peregrinus, et uinctus est simul. Itaq; corria  
gendi

Quod

COMOEDIA SACRA

Acatale-  
ctici.

Quod deliquit, si deliquit, spatium dabo. mansuetudine  
Et clementia nihil homini melius in uita. Ceterum  
Non usus est, me illi temere aperire. eho, ubi estis uos? fo-  
ras  
Agite huc, corruptorem isthunc seruum meum Ioseph  
educite.

ACTVS IIII. SCENA I.

Iambici, tetrametri, acatalectici.

Lorarij. Potiphar.

Ioseph.

**A**Dsumus here. si quid nos uis, impera. Pot. Age  
tu, huc procede bone uir.  
Lepidum mancipium meum. Iam, ubi loci fortunæ sient  
tuæ,  
Facile intelligis. equidem efficiã, ut, qui fueris apud me,  
& quis prius,  
Scias. quandô ego te uideo immutatis moribus esse, atq;  
ingenio.  
Ingrata, atque irrita omnia habere, quæ benefecimus  
tibi.  
Tu ne pudicitiam potuisti tentare herilem? Ios. Ah. Pot.  
Quid mihi  
Respondes? quid nunc sic taces? Ios. Quia me eloqui in-  
dignum est here.  
Pot. At tu factu esse indignum cogitare debebas scelus.  
Ceterum

COMOEDIA SACRA

Ceterum, equidem nondum spem omnem salutis abiecti  
tua

Ioseph. proinde quô te ad frugem recipere queas, uin-  
culis

Tibi domare lasciuiam contentus ero, grauiora merito  
Pristinae id uirtutis respectu tuae. abripite eum in carce-  
rem,

Tanti ut sceleris poeniteat. Ios. Here, animum istum lau-  
do, atq; amo tuum

Quo usus benigno, & amico sum, dum licuit. nunc dum  
non licet

Mihi, ut possum fero. at abripite sanè. confido fore,

Vt res me ipsa reducat aliquando in gratiam.

Pot. Non mihi negotium hoc uolgaribus dolet. modis.  
sed

Quid' me frustra cruciem? quid' me afflictem? quando iã  
infectum

Fieri haud potest. casus humani communes sunt. non  
mihi

Primo, neque soli, nec solus adeo hicce accidit. in re ( ut  
aiunt)

Mala, bonus animus dimidium adimit mali.

ACTVS IIII. SCENA II.

Tetrametri catalectici, tum iambici,

tum Trochaici.

LXXX

Senari.  
Tetra. ca  
catalectici

Senari.

COMOEDIA SACRA

Lorarij. Ioseph.

Iamb.

**Q**uid isthuc quæso Ioseph est negotij? sicca  
ne te

Senarius

Subitò miserum ædibus eijcier in carcerem?

Trocha.

Ios. Non in carcerem eijci, sed carcere dignum admit-  
tere

Aliquid miserum est. sæpè uincula probis iuxta atq; in-  
probis

Accidère. dum ne ob malefacta patiar, parui æstumo.

Iamb.

Lor. Dixisti honestè Ioseph. uerum huic dolor adest ho-  
nesto.

Trocha.

Ios. Est qui citò corrigere, et mutare potest letis tristia,  
Deus. cui nota est caussa calamitatis, & ueritas rei, &  
Ut peruiuam in his ad summam usque ætatem, tamen  
breue

Dimeter

Spatium est perferendi miseriam.

troch.

Lor. Sapis, qui nec, præter quas carcer habet, addas mo-  
lestias,

Iamb.

Et quas habet rectè feras. Ios. Nam si me afflictum, quid  
mihi

Trocha.

Lucri sit? nonne eadem sint ferenda nolenti tamen?  
Quodcunque Deus ille facit, ferendum est æquo ani-  
mo. cui

Pugnare, & frustraneum, & impium iuxta est. Inscia  
tia

Est uerò, gratis malum esse uelle, quom liceat bono.

Lor.



COMOEDIA SACRA

Lor. Verum proin obdura rebusq; te serua secundis. Iamb:  
Ios. Equidem semper ea uolui, & feci, ut non modò se Trocha.  
cunda mihi

Sperare, sed aduorsa contemnere queam. Lor. Diuosa  
stram fidem.

Hominis ingenium constans, ac praesens. lacrimas ex Iamb:  
cussit

Mihi. miseretq; me eius. hoc nemo fuit commodior  
Semper. nec ad herilia negotia quisquam attentior. cui  
Domus parebat tota modo. chem, quò redactus subito  
Est: ut mortale nihil florere diu potest? Senarius

ACTVS III SCENA III.

Trochaici tetrametri catalectici.

Ioseph.

**P**RO summe Deus, autor, rectorq; omnium, & mundi  
di arbiter.

Quem tandem grauibus laboribus statues modum meis?  
Perpetuo tenore, aduersis succedunt aduersa mihi.  
Aspicias hæc Deus, nam te nihil fallit. domi grauem  
Pertuli fratrum inuidiam diu, immerito meo, à quibus  
Etiam cædi destinatus, uerum praesenti tua  
Seruatus ope, ab eis uenditus, dulcem patriam exilio,  
Libertatem seruitute commutavi auream. sed hæc,  
Tua benignitate, leuia expertus sum satis. quasi

Me

COMOEDIA SACRA

Me ita fratrum odio liberatum uolueris . ecce autem,  
res noua

Orta est porro . quæ omneis mihi rationes conturbas  
uit, &

Extremam in sortem coniecit simul ô Deus . at pro fide  
Continentiaq; hoc præmij fero? sed ne me poeniteat  
Fuisse pium . sic præstabat , quàm perpetua domi dissidia  
Conflasse . ego solus quom sim , facile hanc pertulero iniu-  
riam ,

Qui grauiorem olim tuli . quid' enim faciat aliena quom  
Ipsi in me fratres ad eum se uierint modum mei ? cetero-  
rum ,

Qui me ab ijs eripuisti Deus , tute uiam inueneris ,  
In te omnis spes est mihi . sæpè qui , re gesta pessumè ,  
Gesta ut sit probè facis . fortasse & sic mihi tua  
Consulis bonitate , tutus ab impudica ut sim . sequor  
Quo me tua sancta uoluntas uocat . addam & hanc tol-  
lerantiam

Superioribus , quid mihi refert Ioseph esse nomen , nisi  
Factis probò? homo sum , humanis natus casibus obno-  
xius .

Cui nihil recusandum , quod communis fert conditio ,  
Neq; grauius ferendum , quod uitari non potest .

Catastrophe .

ACTVS V . SCENA I .

Troo

CO MOEDIA SACRA  
Trochaici tetrametri catalectici.

Hanno.

**N**AE alba iam raraq; in hominibus auis, fides &  
gratia

Est. quarum locum, perfidia ingratitudeq; obtinent.

Ita bonis intermorientibus moribus iam, affatim

Succrescunt mali, magis ac magis indies. posterioribus

Semper deterioribus. hæc mihi ex ipsa adeo re incidit

Cogitatio, dum concaptiui in mentem uenit mei

Ioseph Hebræi quem ego in tam aduersa, aut euorsa potius,

Miserum fortuna, tantum temporis interuallum malè

Gratus deserui, cuius me poenitet nunc, & pudet.

Miseretq; eius. qui mihi in contubernio nuper carceris,

Quà non comitate sermonis, quà non ministerij

Sedulitate leuauit miseriam? quàm solerti mihi

Coniectura, in somnij aperuit ueritatem? Visus ut

Fortè per quietem eram triplicem uidere palmitem

Botris oneratum, grandibus iam, & uindemiæ idoneis.

Quibus à me resectis, expressisq; in poculum regium,

Mustum. regi offerre bibituro pergratum ei officium

Retuli ad ipsum anxius. ille, bono protinus animo iubet

Esse. portendiq; pristinae intra triduum mihi

Dignitatis restitutionem. quòd Vinum Deus

Exhilarandis creauit animis, solandisq; laboribus,

E Quo

COMOEDIA SACRA

Quo & amicitia consiliatur, diluitur inimicitia  
Mortalibus. at te ( inquit ) obsecro Hanno, memineris  
mei

Quom bene erit tibi redde operam mihi apud Parho-  
nem, carcere

Eximundum ut cures. quô detrusus sum, nulla mea  
Culpa, neq; meritò. sed furtim Hebræo huc abductus  
solo.

Dein, ob innocentia studium, indigna hæc nocentium  
Sustineo supplicia. sed cessatum à me usq; adhuc fuit  
Captanti semper oportunitatem, ita ut fit iam duo  
Effluxere anni. simul secunda fortuna ebrio,  
Aduorse obliuio, illiusq; mihi obrepfit securitas:  
At nunc eam pensasse utcunq; tandem negligentiam,  
Sanè uolupe est. atque ea quidem iam obtulit se occa-  
sio,

Vt non sine numine, uel hanc nunc, uel tunc obliuionem  
illam

Contigisse, credere sit. Sed quid' cesso etiam adire  
eum

Hoc ut tanto tamq; insperato quàm primum gaudio  
Impertiam. lubentio remq; faciam, quàm lubentia est.  
Aperite ocyus hoc. heus, ecquis hæc est? ecquis audit?

ACTVS V. SCENA II.

Tetrametri trochaici, catalectici.

Puer

COMOEDIA SACRA

Puer. Hanno. Gulussa.

**H**oc  
Quis' pultauit ostium? Han. Qui tibi proximum  
astat. nuncia

Vt prodeat Gulussa foras est, qui illum conuentum esse  
uolt.

Pu. Nihil aliud dicam? Han. Vt uenire properet. ne' in  
mora mihi

Siet, ita res est. Pu. Fecero. Han. At iam factum oportet  
tuit. uola.

Gul. O salue mi Domine. Han. Et tu multum salue Gulussa  
mi.

Sed Ioseph iam huc, ex precepto regis, producto est opus.

Maximam cui letitiam & triumphum adfero, aduentu  
meo.

Gul. Optumè factum, & gaudeo. nam illi faueo iuueni-  
quem ego

Esse scio honore quouis dignum. Han. Est sanè. at nunc  
matura. ita

Facto opus est. Gul. Curabitur.

ACTVS V. SCENA III.

Trimetri Trochæici, catalectici.

Hanno. Ioseph.

Gulussa.

E 2 NVL

COMOEDIA SACRA

**N**ulla est conditio tam desperata, quæ  
 Non in melius, quom Dij uolunt, citò  
 Restitui queat. quod de me adeo cuiuis  
 Facile est noscere. qui nihil sanè minus,  
 Atq; pistorum ille præfectus, reus  
 Peccati in dominum meum regem, illo in crucem  
 Acto, ego clementia eius pristinae  
 Dignitati restitutus uiuo tamen.  
 Sed quem uolui, eccum. Ioseph te plurimum  
 Saluere iubeo. Ios. Salue Hanno. isthæccine  
 Est fides? Han. Peccaui, fateor. uincor. at  
 Nunc, quandò tibi Deus & uirtus tua  
 Reditum & restitutionem in meliorem statum  
 Aperuit, tuæ fuerit sapientiæ  
 Magnitudinisq; animi, quod accidit,  
 Obluisci. quod instat, curæ habere. ita  
 Aequom ac dignum alijs factis tuis feceris.  
 Ios. More hominum fit Hanno, ut miserorum, malè  
 In foelicitate capiat obliuio.  
 At ego illud, scio, quàm doluerit cordi meo.  
 Han. At nunc gaude mi Ioseph. Ios. Quid' gau  
 deam?  
 Han. Equidem iam te fortunatum fecero.  
 Ios. Istiuc Deo in manu est, ubi dignabitur.  
 Han. At, sine controuersia, Ioseph, Dij  
 Te omnes adiuuant. Ios. Ita uelim, sed nihil

Sentio

COMOEDIA SACRA

Sentio etiamnum. Han. Faxo ergo ut sentias.

Ios. Quin dic, quid tandem est bonæ rei? Han. Accipe-  
hem,

A Parhone rege missus sum modò,

Vt te adducerem. Ios. Hem. Han. Ne' uerearis. bono

Animo es. Dij te, Ioseph, eruatum uolunt.

Ios. Obsecro num nam ludis tu nunc me? Han. Egon?

Te? quamobrem? Ios. Nescio. sed qui isthuc credant

ita

Esse, mihi dici uelim. Han. Dicam tibi.

Rex gemini sibi obuersati in somni

Confusus portentosis ambagibus,

Cunctis diuinis, ac coniectoribus,

Et quotquot tota Aegypto sapientia

Præstant, consultis frustra, ut cui nihil

Explicare quidquam possint, quom magis

Inde etiam consternaretur, de tua

Ei oportune maxumè sapientia

Suggesti. quondam ipse quam expertus fui.

Quare huc te accersitum, iussit ire me,

Eiusdem quò beneficij, cuius mihi

Olim, nunc item ipsi facias copiam.

Perpetuò sic eum deuincturus, simul

Et libertatem, & nobilitatem ex eo,

Et gloriam tibi, & rem pariturus. Gul. Bene, ut

Me Deus amet, factum gaudeo. Ios. Dic bonan?

E 3 Mihi

COMOEDIA SACRA.

Mihi fide isthac uerba dixisti? Han. Bona.

Non mihi credis? Ios. Deus supreme, iterum

Mihi natus uideor, si uera praedicas.

Han. Ita me amet quam ego amo, ut haud mentior  
tibi

Ioseph. Ios. Deus tibi oro semper omnia

Optata offerat. eamus. duc me ad eum obsecro.

Gul. Isthuc Deus bene uortat. Ios. Ita spero quidem.

Han. Fac modò animo presenti ut sis. Gul. Quin ca  
ue

Mi Ioseph, né committas nunc, ut tibi

Ipsè defuisse uideare. quod quidem

Ita diuina occasione, atq; indole

Ista tam egregia, iuxta indignum foret.

Bene gerundæ rei facultatem datam

Amittere, dementia est. Ios. Faciam sedulo.

Han. Eamus iam ergo. Ios. Atque aliquanto lubens  
tius,

Quàm quidem huc accessi. O Gulussa, Vale.

Gratias habeo atq; ago meritò maxumas

Tibi, uicissimq; ubi quid usus uenerit,

Bene faxo lubens. Gul. Benigne dicis. Vale,

Atq; salue Ioséph. ac bene rem gere.

Oh. quid' est quod nunc malim, quàm quod iam huic

Euenire intellego. è pædore sic

Ad benigniorem tandem sortem uti

EUCA



COMOEDIA SACRA

Euehatur, uirtus ita ut meretur eius?  
Nam si hæc regi interpretetur somnia,  
Ut fecit concapte iueis antehæc suis,  
Et libertatem ei, & opes & gratiam,  
Cumulatè partum iri scio. quod reliquom est,  
Spectatores, qui uirtutem ducitis  
Maximi, æquom est Ioseph gratia,  
Vos dare plausum postremò in comœdia.

Omnis uni Deo gratia & gloria.

FINIS.

LVCII COELII LACTANTII FIR-

miani carmen de passione do-

mini.

**Q**uisquis ades, medijsq; subis in limina templi,  
Siste parũ, in fontemq; tuo pro crimine passum.  
Respice me: me conde animo, me in pectore serua.  
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,  
Huc ueni, pacis promissæ interpret, & ampla  
Communis culpæ uenia: hic clarissima ab alto  
Reddita lux terris, hic alma salutis imago:

E 4 Hic

DE PASSIONE

Hic tibi sum requies, uia recta, redemptio uera:  
 Vexillumq; dei, signum & memorabile fari.  
 Te propter, uitamq; tuam sum uirginis aluum  
 Ingressus: sum factus homo, atq; horrentia passus  
 Funera: nec requiem terrarum in finibus usquam  
 Inueni, sed ubiq; minas, sed ubiq; labores.  
 Horrida prima mihi in terris magalia Iudæ  
 Hospitia in partu, sociæq; fuere parenti.  
 Hic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum  
 Arida in angustis præsepibus herba cubile.  
 In pharijs primos uixi regionibus annos.  
 Herodis regno profugus: reliquosq; reuersus  
 Iudæam, semper ieiunia, semper & ipsam  
 Pauperiem extremam, & rerum inferiora secutus:  
 Semper egens monitis humana salubribus almæ  
 Ingenia ad studium probitatis aperta salubri  
 Plurima doctrinæ iniungens miracula: quare  
 Impia Hierusalem rabidis exercita curis  
 Inuidiæ, seuisq; odijs, & cæca furore,  
 In fonti est pœnis letalibus ausa cruentam  
 In cruce terribili mortem mihi querere, quæ si  
 Latius ipse uelim distinguere, siq; per omnes  
 Ire iuuet gemitus, mecum & sentire dolores:  
 Collige consilia, insidias ue, meiq; nefandum  
 Sanguinis innocui precium, & simulata clientis  
 Oscula, & insultus, & seue iurgia turba:

Vers

DOMINI.

Verbera præterea, & promptas ad crimina linguas.  
 Fige animo & testes, & cæci infanda Pilati  
 Iudicia, ingentemq; humeros, & fessa prementem  
 Terga crucem, atq; graues horrêda ad funera gressus.  
 Nunc me, nunc uero desertum extrema secutum  
 Supplicia, & dulci procul à genitrice leuatum  
 Vertice adusque pedes me lustra: en aspice crines  
 Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis  
 Colla comis, spinisq; caput crudelibus haustum:  
 Undiq; diua pluens uiuum super ora cruorem.  
 Compressos specularè oculos, & luce carentes,  
 Afflictasq; genas, arentem suspice linguam  
 Felle uenenatam, & pallentes funere uultus.  
 Cernè manus clauis fixas, tractosq; lacertos,  
 Atq; ingens lateri uulnus: cernè inde fluorem  
 Sanguinem, fessosq; pedes, artusq; cruentos.  
 Flecte genu, lignumq; crucis uenerabile adora  
 Flebilis: innocuo terramq; cruore madentem  
 Ore petens humili, lachrymis suffunde subortis:  
 Et me nonnunquam deuoto in corde, meosq;  
 Fer monitus: sectare meæ uestigia uitæ.  
 Ipsaq; supplicia inspiciens, mortemq; seueram,  
 Corporis innumeros memorans, animiq; dolores.  
 Disce aduersa pati, & propriæ inuigilare saluti.  
 Hæc monimenta tibi, si quando in mente iuuabit  
 Voluere, si qua fides animo tibi ferre meorum,

B S Debita

DE PAS. DOMI.

Debita si pietas, & gratia digna laborum  
 Surget, erunt uere stimuli uirtutis, eruntq;  
 Hostis in insidias clypei, quibus acer in omni  
 Tutus eris, uictorq; feres certamine palmam.  
 Hæc monimenta tuos, si labilis orbis amicos  
 Auertent sensus, fugiente decoris ab umbra  
 Mundani efficient, ne spe captatus inani,  
 Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus  
 Auferis, aut uitæ sperare fugacibus annis.  
 Sed te nimirum, sic ista caduca uidentem,  
 Secula, & exutum patriæ melioris amore  
 Orbis opes, rerumq; usus, & uota priorum,  
 Moribus extollens sacris, uitæq; beatæ  
 Spe, duras inter pœnas, te rore fouebunt  
 Cœlesti, pactiq; boni dulcedine pascent:  
 Purpuream donec post ultima fata relicto  
 Corpore, sublimes animam reuocabit ad auras,  
 Gratia magna tibi tunc omnem exuta laborem,  
 Angelicos tunc læta choros, aciesq; beatas  
 Sanctorum inspiciens, æternæ pacis amœna,  
 Perpetuo fœlix tecum regnabit in aula.

LV. COE. LACTANTII FIRMIANI  
 de resurrectionis dominicæ die.

**S**alue festa dies toto uenerabilis æuo,  
 Qua Deus infernum uicit, & astra tenet.

Tem

DE RESURRE. DOMINI

Tempora florifero rutilant distincta sereno,  
Et maiore poli lumine porta patet.  
Altius igniuomum solem coeli orbita ducit,  
Qui uagus oceanas exit, & intrat aquas.  
Armatus radijs elementa liquentia lustrans  
Hac in nocte breui tendit in orbe diem.  
Splendida syncero producunt aethera uultus,  
Letitiamq; suam sydera clara probant.  
Terra ferax uario fundit munuscula cultu,  
Cum bene uernarit, reddit & annus opes.  
Mollia purpureum pingunt uiolaria campum:  
Prata uirent herbis, & micat herba comis.  
Paulatim subeunt stellantia lumina florum,  
Floribus arident gramina cuncta suis.  
Semine deposito late seges exilit aruis,  
Spondens agricolae uincere posse famem.  
Caudice deserto lachrymat sua gaudia palmes:  
Vnde merum tribuat, dat modo uitis aquam,  
Cortice de matris tenera lanugine surgens,  
Preparat ad partum turgida gemma sinum.  
Subq; hyemis tempus foliorum crine refuso,  
Iam reparat uiridans frondea tecta nemus.  
Mista salix, abies, corylus, filer, ulmus, acer, nux,  
Plaudit quaeq; suis arbor amœna comis.  
Constructura fauos apis hinc aluearia linquens,  
Eloribus instrepitans poplite mella rapit.

Ad

## DE RESURRECTIONE

**A**d cantus reuocatur auis, quæ carmine clauso.

Pigrior hyberno frigore muta fuit.

**H**inc Philomela suis attemperat organa cannis,

Fitq; repercusso dulcior aura melo.

**E**cce renascentis testatur gratia mundi,

Omnia cum domino dona redisse suo.

**N**anq; triumphanti post tristia tartara Christo,

Vndiq; frondæ nemus, gramina flore fauent.

**L**egibus inferni oppressis, super astra meantem

Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum.

**Q**ui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat:

Datq; creatori cuncta creata precem.

**M**obilitas anni, mensum, lux alma dierum,

Horarum splendor, stridula cuncta fauent.

**H**inc tibi sylua comis, plaudit quoq; campus aristis:

Hinc grates tacito palmite uitis agit.

**H**inc tibi nunc auium resonant uirgulta susurro:

Has inter nimio passer amore canit.

**C**hriste salus rerum, bone conditor, atq; redemptor,

Vnica progenies ex deitate patris.

**I**rrecitabiliter manans de corde parentis,

Verbum subsistens, et patris ore potens.

**A**equalis concors, socius, cum patre coæuus,

Quo sumpsit mundus principe principium.

**A**ethera suspendis, sola congeris æquora fundis,

Quæq; locis habitant, quæ moderata uigent.

Qui

DOMINI.

Qui genus humanum cernensmersum esse profundo,  
Vt hominem eriperes, es quoq; factus homo.  
Nec nostro tantum uoluisti è corpore nasci,  
Sed caro, quæ nasci pertulit atq; mori.  
Funeris exequias patris nouus author, & orbis,  
Intra mortis iter dando salutis opem.  
Tristia cessarunt infernæ uincula legis,  
Expauitq; chaos luminis ore premi.  
Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ,  
Aeternæ noctis pallia crassa cadunt.  
Solicitam sed redde fidem precor alma potestas:  
Tertia lux redijt, surge sepulte meus.  
Non decet ut uili tumulo tua membra tegantur:  
Non precium mundi uilia saxa premant.  
Indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo,  
Vt tegat inclusum rude uetante lapis.  
Linteae tolle precor, sudaria linque sepulchro,  
Tu satis es nobis, & sine te nihil est.  
Solve catenatas inferni carceris umbras,  
Et reuoca sursum quicquid ad ima ruit.  
Redde tuam faciem, uideant ut secula lumen:  
Redde diem, qui nos te moriente, fugit.  
Sed plane implesti remeans pie uictor olympum,  
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.  
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens,  
Qui raperet semper fit tua præda Deus.


Eripis

DE RESURRE. DOMI.


Eripis innumerum populum de carcere mortis:  
Et sequitur liber, quo suus author abis.  
Euomit absorptam pauide fera bellua plebem,  
Et de fauce lupi subtrahit agnus oues.  
Hinc tumulum repetens post tartara carne resumpta,  
Belliger ad coelos ampla trophæa refers.  
Quos habuit poenale chaos, iam reddidit iste:  
Et quos mors peteret, hos noua uita tenet.  
Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi,  
Cum puras animas sacra lauacra beant.  
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,  
Aq; uetus uitium purgat in amne nouo.  
Fulgentes animas uestis quoq; candida signat,  
Et grege de niueo gaudia pastor habet.  
Additur hac felix concors mercede sacerdos,  
Qui dare uult domino dupla talenta suo.  
Ad meliora trahens gentili errore uagantes,  
Bestia ne raperet, munit ouile dei.  
Quos prius Eua nocens infecerat, hos modo reddit  
Ecclesiae pastor ubere lacte sinu.

F I N I S.
















458

432

---

Ung III A 170

ULB Halle

3

003 506 665



f

Sb.

Z







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

MOE-

TI TITVLVS

uentutis institus  
tionis, ueteremq;  
& scripta & edita,  
amsterodami  
rum.

X. XL. & XLI.

tibi spiro.



es Gymnicus excu  
D. XXXVII.

4

